

8
48

PONTIFICVM
ROMANORVM
LIBER

EX VETERIBVS GERMANIS
desumptus Authoribus

PER FRANCISCVM
Ioannetum I. V.
Doctorem.











BONONIAE,
Typis Alexandri Benatii.
M D L X X.

Licentia & permissu Superiorum.

PONTIFICVM
ROMANORVM
LIBER
EX VETERIBVS GERMANIS
desumptus Authoribus
PER FRANCISCVM
Ioannetum I. V.
Doctorem.






BONONIAE,
Typis Alexandri Benatii,
M D L X X.

Licentia & permissu Superiorum.

SANCTISSIMO
ET BEATISSIMO DOMINO DOMINO NOSTRO PIO V.

Pontifici Opt. Max. ſacroq; Ampliſsimorum Cardinalium Collegio, ac Vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ Pax & Benedictio à Deo Patre per vnigenitũ eius filium, Dominũ et Saluatorẽ noſtrum.
IESVM CHRISTVM.
Amen.





TSI, Beatiſsime Pater, tui me terreat magnitudo, & ſublime illius ſedis, quam tu ſanctiſsimis meritis tuis ornas, culmen ad eam mihi penè aditũ præcludat: tua tamen inuitat humilitas, quando cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo Chriſti me loqui video: cogit neceſsitas, vbi ex tua, poſt Deum, tuorumq; ſimilium incolumitate vniuerſi Chriſtiani orbis ſalutem pendere agnoſco: compellit Charitas, quum tuos collegas, sanctos Martyres, & Confeſſores idipſum, quod ago, expetere cõſpicio. Proindè animaduertens nihil magis huius æui

hæreticis (siuè illis Pseudotheologis, siuè falsis historicis) vel à principio vsq; fuisse in uotis, quàm vulnus serio atrox sanctæ Christi Ecclesiæ inferre: & ob id ipsos suarũ hæresum caussas, ac primas origines in caput eiusdem Ecclesiæ, hoc est, in Romanos Pontifices, & eorum potestatem, ac gesta potissimùm retulisse: non committendum, pro mea erga sanctam Ecclesiam deuotione, atq; officio, duxi, quin huic malo medelam inde peterẽ, unde vulnera prouenisse cernerem. Cùm itaq; primi istarũ hæresum motus à Germanis (de Catholicis, piis, et sanctis viris Germanis nõ loquor) initio fluxerint: ex eadẽ patria Germania omniũ veterũ, & probatissimorum quidẽ, Germanorũ, aduersus improbitatem scæleratorum testimonia conquisiui. E quorum lectione protinus depræhẽditur, Pontificum Romanorum gesta in eorũ officio longè alia semper fuisse, quàm ab istis veneficis fuerint pscripta. Porrò calumniãtur in gestis & Pastorali officio acerbissimẽ (gratia exẽpli) Leonẽ nonũ, Nicolaum 2. Alexandrũ 2. Gregorium 7. Victorẽ 3. Vrbanum 2. Paschalẽ 2. Gelasium secundum, Innocentium tertium, Honorium tertium, Gregorium nonum, Innocentium quartum, Alexandrum quartum, Clementem quartum, Gregorium decimum, Nicolaum tertium, Honorium quartum, Nicolaũ quartum, Clementem quintum, Benedictum

duodecimũ,

duodecimum, Clementem sextum, & alios huiusmodi summos Pontifices anteriores his atq; posteriores quàmplurimos (verius dixerim, à Christo ipso in vniuersum omnes) quos tamen ad unguem singulos (in his præsertim, in quibus hæretici eos grauiter & inuidiosè culpant) vtpotè optimos & sanctitate vitæ, atq; gestorũ magnitudine pereximios viros, Germani veteres (ut Italos scriptores iam mittam) summis euehunt laudibus: gesta illorum omnia pro Christi Ecclesia, pro trãquillitate vniuersæ Reipublicæ Christianæ præclarissima fuisse, & memoranda prædicant: vitam eorum sobriam castamq;, & mores venerandos, ingentiq; pietate & sanctitate plenissimos, vbiq; passim adfirmant. Ab his itaq; veteribus Germanis, magnæ auctoritatis & scientiæ in historia viris (quum nulli alii hac in re certiores vsquàm gẽtium existant scriptores) testimonia pro sacris Pontificibus Romanis aduersus malorum perfidiam petenda existimaui. Quibus & veritatem suo loco stare, & audaces hæreticos sua improbitate fatiscere iudicaui. Hi enim authores Germani etsi plures numero sint: conuenit tamen de rebus inter omnes: & illorum etiã multi rebus ipsis præsentes haud rarò suo tempore interfuerunt. Quamobrem paruulũ hunc defensionis & Iustitiæ librum, quem melior me posteà venturus splendidè olim auge-

re

re poterit, Sanctæ Romanæ Sedi, eiusq; Pastoribus summis pia mente (quàmuis Minerua tenui) comparatum, vt tua Beatitudo, ouium Christi Pastor optime, vnà cum reliquis eiusdem Ecclesiæ Proceribus eximiis, suscipere dignetur, ad sacros Pedes tuos tota mente procumbens, humillimè rogo. Deus omnipotens sua Benignitate Sanctitatem tuam Ecclesiæ suæ & vniuerso orbi incolumem & fortunatã diu conseruet. Bononiæ Idibus Martii, Anno salutis humanæ M D L X X.

Sanctitatis & Beatitudinis Tuæ,

Humillimus & Indignus Seruus

Franciscus Ioannetus.

FRANCISCVS IOANNETVS PIO LECTORI. S.



Cripserunt Itali quidem, Pie Lector, uariis tēporibus Pōtificum Romanorum gesta: quibus ueruntamen exotica et prophana nimis multa de Imperatoribus deq; aliis miscentes, aliam rem prorsus, quàm de Pontificibus sacroq; illorum officio texere historiā, agere uisi sunt. Ut eorum fortè etiā exemplo permoti horum temporum hæretici, quid uel de Theologia uel de historia scribentes, ipsorum identidem Pontificum, atq; Imperatorum, reliquorumuè principum, & nationum annales seu libros promiscuè ac indiscriminatim (nulla reuerenter habita sacri ordinis Pontificum ratione) ædiderint. Enimuerò inter scribendum, ubi hæreticus in tempora incidit et Pontifices, qui suis non fauerunt cupiditatibus, & perniciosos Ecclesiæ atq; Clericis Principes, sceleraq; malorum, magna auctoritate compescuerunt: tùm nullum probri genus, quod ipsis Pontificibus, ac Romanæ Sedi, non obiiceret mendax scriptor, irarum impotens (quò suas hæreses imperito uulgo & principibus ignauia obsessis tanto firmius suggereret, & suæ libidinis procacitati oppidò indulgeret) intermisit unquàm. Putauit n. iq; futurum, ut expugnato Ecclesiæ Capite, tota cum opibus protinus correret in manus latronum ipsa

Ecclesia. At spe sua & re frustrati splendidè sunt hæretici: quia non ruit hactenus Ecclesia, quæ ad cō-summationem usq; sæculi unà cum Sede Petri (Christo iubente) permanet. Neq; permisit adhuc benignissimus Deus, neq; in futurum patietur, tantorum scelerū impunitã licentiam. Si enim ab oborto usq; Luthero, qui ut homo perfrictæ frontis, ita hæresum huius æui penè omnium improbus fuit artifex, tempora & nationes Lutherica, uel Hugonistica, seu alia quauis hæretica lue infectas, quis accuratè percurrat: utiq; repræssam hæreticorum audaciam non solùm (taceo, nunc non pudere hæreticos, pati ut fœmina sese caput eorū Ecclesiæ appellet) cruentissima illa apud Germanos rusticorum strage, & subindè Caroli quinti aduersus factiones hæreticorum Germanicas uictricibus armis atq; indignatione: uerùm etiam recēs orationibus ad Deum sanctissimi, & prudentissimi Principis, Pii quinti, Pontificis Maximi, certò intelliget. Quemadmodum enim olim precibus Leonis quarti Pōtificis perierunt naufragio Saraceni Italica præda onusti, & rursùm acri prælio ad ostiam fortiter fuere superati: sic iam paucos ante dies, meritis nostri huius Beatissimi Pii, quem Christus ouium suarū misertus, præcipuo nutu, in Diui Petri sede, magno cū Ecclesiæ fructu, nostris diebus collocauit, Hugonistas à Deo Hispanica Inclyti Ducis Albani fortitudine in Flādria, & haud longo interiecto tempore in Gallia, Caroli Regis uirtute & gladio, mirè prostratos; & reliquas hæreticorum pestes grauiter attritas cernimus.

Vt

Vt interim magnos et sanctos hic non memorem nostræ ætatis Viros, summos quippè Theologos, summèq; uenerandos, Hosios, Lipomanos, Roffenses, Catherinos, Sotos, Cromeros, Eckios, & huiusmodi alios, qui euulgatis sacræ Theologiæ libris, hæreticos omnes, in uerbo ueritatis præclarè confutarunt. Cùm itaq; nihil amplius, ac fraudes & falsa de Pontificibus deq; Sancta Petri Sede scripta, hæreticis reliqui sit: illa nullo efficatiore, quàm omnium penè ueterum Germanorũ, testimonio detegi, improbar iq; posse iudicaui. Horũ etenim ueterum, qui historias temporum accuratissimè & fideliter scripserunt, fidem atq; sententiam fabulatoribus hæreticis, longo interuallo, anteferendã (imò nulla ratione comparandã) putaui. Qua in re nõ modò sacros Pontifices, Romanamq; Sedem, ab hæreticorum iniuriis, pro exigua paruitate mea & officio, uindicare studui, sed & Germanos ueteres unà cum clarissima Germania, quæ me diu leges profitentem audiuit, æquissimos, iustissimosq; rerum scriptores, ad lucem contra hæreticos reuocare, & labentes in fide alios (ueritate cognita) in uiam adducere, summa ope contendi. Quicquid igitur Germani, quorum nomina sequens pagina continet, de summis Pontificibus Romanis memoriæ prodiderunt, id operi meo fidelissimè inscripsi: ut indè gesta Pontificum sancta, & hæreticorum simul sacrilega mendacia, eadem queant cognosci opera. Addidi præterea pro re nata quandoq; cùm ex Archetypo Registrorum Pontificũ Romano, tùm ex aliis grauissimis authoribus et sacris libris nonnul-



ta, è quibus lux obscuris, & fides indubitata antiquis accedit Germanis. Subiunxi &que multis in historiæ locis plura, quæ summorum Pontificum res summa cum potestate gestas diuinæ atque humanæ legi planè cognatas esse demonstrant. Primam proindè nostri laboris partem nunc, pie lector, habe: alia ex Germanis identidem scriptoribus pro sancta Ecclesia (annuente Deo) ex nobis paulo post accepturus. Vale.

Nomina Germanorum, quibus potissimè Author in Libro Pontificum est vusus.



Otto Phrisingensis.
Radeuicus.
Chronicum Norimbergense.
Abbas Vrspergensis.
Luitprandus.
Regino.
Speculum Saxonum.
Saxo grammaticus.
Abbas Tritemius.
Annales Francorum.
Lupoldus.
Fregulphus.
Ado Episcopus Vienensis.
Mutius de Germanorũ prima origine.
Nauclerus.
Beatus Rhenanus de Rebus Germanicis.
Albertus Kranzius.

Nomina Authorum, à quibus Libro quid, præter Germanos, additum est.



Biblia.
Ius Canonicũ & Ciuile.
Registra summorũ Põtificum Romana.
Anglici Annales.
Tomi conciliorum.
Diuus Hieronymus.
Leo primus in sermonibus suis.
Basilius Magnus.
Eusebius.
Epiphanius.
Diuus Ambrosius.
Diuus Augustinus.
Diuus Thomas de Aquino.
Ireneus.
Beda.
Diuus Ioannes Chrysostomus.

Nomina Germanorum, quibus potissimé Author in Libro Pontificum est vsus.



Otto Phrisingensis.
Radeuicus.
Chronicum Norimbergense.
Abbas Vrspergensis.
Luitprandus.
Regino.
Speculum Saxonum.
Saxo grammaticus.
Abbas Tritemius.
Annales Francorum.
Lupoldus.
Fregulphus.
Ado Episcopus Viennensis.
Mutius de Germanorũ primo origine.
Nauclerus.
Beatus Rhenanus de Rebus Germanicis.
Albertus Krantzius.

Nomina Authorum, & quibus Libro quod, praeter Germanos, additum est.




Biblia.
Ius Canonicũ & Ciuile.
Regestra summorũ Pontificum Romana.
Anglici Annales.
Tomi conciliorum.
Diuus Hieronymus.
Leo primus in sermonibus suis.
Basilius Magnus.
Eusebius.
Epiphanius.
Diuus Ambrosius.
Diuus Augustinus.
Diuus Thomas de Aquino.
Ireneus.
Beda.
Diuus Ioannes Chrysostomus.



Romanorum Catalogus.







A

C.

Curia

bona

E

F

H

Heidemundũ

Ieiunium

L

M

Pontificem


tos

LAVS DEO.

[illegible]

SANCTVS PETRVS APOSTOLORVM PRINCEPS, ROMANVS PONTIFEX MAXIMVS.

Cap. I.



AXIMORVM Pontificum Romanorum gesta de Germanorum Historiis (defensionis ergô) proditurus, à Diuo Petro, post Saluatorem, primo Pontifice Maximo, Apostolorum Principe, ac Martyre, opus exordiri libuit. Is nanq; Petrus natione Gallilæus ex Bethsaidæ Vico, Ioannis filius, & Andreæ Apostoli frater, qui gratia Dei omnipotentis illustratus, ex homine rudi, concionator eximius, ex indagatore piscium, piscator hominum summus effectus, ex oue Israelis perdita, Pastor vniuersi gregis Dominici Maximus à Christo ipso constitutus, potestatem animarum in cœlo, & in terra amplissimam, præ omnibus reliquis, accepit. Huic quippè Petro nomen anteà Simoni fuit: Sed cùm Andreas frater adduxisset eũ initio ad IESVM, Dominus illi nomen Cephæ (quod *Ioannis.1.* interpretatur Petrus) indidit. Hîc Petrus à

Christo Petra est vocatus: super quam petram ædificauit Saluator in terris Ecclesiam suam: ad uersus quã portæ Inferi nequaquàm essent præualituræ. Cui quidem Petro Christus dixit:
Matthæi. 16. Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatũ, et in cœlis: et quodcũq; solueris super terrã, erit solutum & in cœlis. †Sedit Petrus post assensionem Domini in Episcopali Sede apud Antiochiam Vrbem annis septem. Is omnium diligẽtissimus, vbi Asiaticas Ecclesias satis confirmasset (confutatis eorum opinionibus, qui circuncisionem approbabant) post prædicationem dispersionis de circuncisione in Ponto, Galacia, Cappadocia, Asia, & Bithinia, ab Herodis carcere liberatus in Italiam venit: & primam in Vrbe Roma, Vniuersi orbis, terræ, marisq; Domina, cathedram tenere cœpit, secundo nimirùm Claudii anno. Hunc Petri Romam aduentum non modò Norimbergica Chronica hoc loco nominatim perhibent, sed (ut Origenem, Orosium, Eusebium, Aegesippum, Abdiam, Optatium Mileuitanum, & reliquos vetustissimos rerum scriptores, præter Germanos, iam mittam.) Otto etiam Phrisingensis, Abbas Vrspergensis, Fregulfus, Albertus Krantius, Nauclerus, quin & aduersariorũ plurimi quoq; Germani vel nolentes, testantur. Vt hinc nosse liceat, eos, qui Diuum Petrum Romam venisse negant, aut splendidè ignauos, aut mendacio-
rum

rum esse oppidò studiosos. Sedit ergò Romæ Petrus usq; ad diem martyrij eius annos. xxv. menses septem. Quo in loco Simonem Magũ Samaria oriundum, qui præstigiis suis sese pro Deo Romanis venditabat, offendit. Inter cætera uerò præstigiorum eius Magi exempla illud quoq; fuit: Cùm enim is Diuum Petrum mira culis ad certamen prouocare vellet, mortuum puerum ad vitam reuocare suis carminibus ten tauit. Qua in re dùm nihil proficeret Magus: puerum Sanctus Petrus in nomine IESV Christi à mortuis suscitauit. Tum indignabundus Magus, se volaturum ex Capitolino Mõte in Auentinum, populo est pollicitus. Cæterùm vbi iam volitans in aere penderet, effudit ad Deum Petrus preces, & nè tanto populo magicis artibus illudi sineret, rogauit. Exaudita est tunc protinus oratio Petri, & Magus decidens in terram crus confregit: indeq; haud multo
2 post eo casu obiit. † Ab hoc Simone Mago, qui dona Spiritus sancti ab Apostolis anteà emere voluit, Simoniaci, qui dona Spiritus sancti eme re aut vendere & ipsi non erubescunt, suam du
3 cunt originem. † Hîc deniq; Petrus Apostolorum princeps, idemq; præcipuus Christi discipulus, Quadragesimale ieiunium (vti Norimbergica Chronica de ipso peculiariter testantur) piè instituit. Quod sanè institutum, & reliquorum quoq; Sanctorum Apostolorum

fuisse; Diuus Hieronymus in Epistola ad Marcellam aduersus Montanum, Sanctusq; Leo in sermone nono de Quadragesima, scribũt. Porrò Sanctum istud ieiunium Redemptor humani generis in deserto anteà obseruarat: atq; ex Dei præcepto (iubentis nimirùm, de omnibus bonis decimas dari) nobis est ad Quadragesimæ normam pro decima temporis necessariò subeundum. †Atquî prima ieiunij origo ab orbe condito protinus cœpit: Vbi primis parentibus in Paradiso vetuit Deus, arbore illa vesci, quæ in medio erat Paradisi. Id quod & à Magno Basilio prius æquê animaduersum in Homelia de laudibus ieiunij, Guilielmus Sirletus Cardinalis, Vir nostra ætate græcè, & latinè longê doctissimus, ac probitate, & vitæ sanctitatè conspicuus, mihi Romæ postmodum affirmauit, locumq; ipsum Basilii ostendit. Non ergò ieiunium est recens inuentũ, sed vetustate eximium, ac Venerabile. Ideoq; reuerere Ieiunii Caniciem: quod simul cum homine tunc primùm cõdito esse cœpit in Paradiso.† Quippè hoc loco mirandum, simul & dolendum, ut Neochristiani, aut verius Pseudochristiani, quod ex præcepto Dei, ad imitationem IESV Christi, & Apostolorum institutionẽ, subire libenter deberent, & superba ceruice impiè detrectant, illud ipsum nihilominus in gratiã manifestæ auaritiæ nequaquã inuiti seruent. Explo

c. Quadragesima. de cõsecrat. distinc. 5.

4

Gen. 2.

5

ratæ

ratæ quidem veritatis est, in ea cœli plaga, quæ Mari Baltico adiacet, omnes Principes, Nobiles, Patres familias, Magistros Opifices, & cuiusq; ordinis reliquos, tempore Quadragesimæ, & aliàs in vigiliis Apostolorum, necnon quibusdam aliis statis diebus anni solennibus, non exhibere Aulicis, famulis, domesticis, operariis carnes, quæ in caro foro ea regione vbiq; habentur: Sed tantum ieiunii more prandium piscium (præsertim salsorum, quorum copia illis in locis permagna vilescit.) absq; cœna in die semel domi præbere: quàmquàm liberũ cuiq; nihilominus sit, illo eodem tempore etiam carnibus, suo tamẽ sumptu quæsitis, ad stomachũ vsq; vesci. Ad institutum Germanicæ historiæ redeo. Binas quoq; epistolas Sãctus Petrus, quæ Canonicæ nominantur, conscripsit. Cæterùm verò quia plurimis in Ecclesia Dei (propter orationem, & prædicationem, quibus iugiter vacabat) distrahebatur piis obsequiis, duos sibi cooperarios, Linum, & Cletum (quò sacerdotale ministerium Romano populo atq; aliis exhiberetur) ordinauit. Demùm Petrus ob vitæ eius sanctitatem, verũq; Dei cultum, à Nerone martyrio Crucis, pedibus tamen in sublime actis, & capite demisso, necatur: vltimo nempè eiusdem Neronis anno.

Linus. P. M.
Cap. II.

ANnum Christi nati circiter septuagesimũ, defuncto Beato Petro, Romana sedes ex institutione ipsius Petri ad Clemẽtẽ pertinuit.† Verùm hîc Clemẽs ingenti modestia,& humilitate præditus sedem Lino, quem anteà Petrus Episcopũ pro sacerdotali ministerio Vrbis(iuuandi ipsius Petri gratia)creauerat,inuito,& renitẽti detulit.Linus ergò Petri discipulus atq; successor, natione Hetruscus, patria Volateranus,moribus,& sanctitate, præclarus,ex præcepto Diui Petri statuit, ne qua mulier templũ, nisi velato capite, ingrederetur. Ordinationes bis in suo pontificatu habuit: quibus presbyteros decẽ & octo, Episcopos vndecim,creauit. Scripsit res gestas à S. Petro,maximè autẽ cõtẽtionẽ cum Simone Mago habitam. Deniq; Sãctus Papa quum Demones fugaret, mortuos resuscitaret, aliaq; id genus miracula in nomine IESV Christi æderet, à Saturnino Consule, cuius filiam Demonibus obsessam pridem liberauerat, post annos sui pontificatus vndecim, menses tres, & dies duodecim,capitis supplicio adficitur. Cuius corpus in Vaticano apud Diuum Petrum conditur. Licet nonnulli scribant, corpus illius à Gregorio Ostiensi Episco

po

po Ostiam fuisse delatum, atq; in templo Diui Laurentii honorificè collocatum.

Cletus. P. M. Cap. III.

COegit rursus, & Cletum succedere Lino in Pontificatu Clemens. Cletus iste natione Romanus, discipulus Beati Petri fuit: qui & ab eo Episcopus vnà cum Lino (sicut anteà diximus) ordinatus, suburbiis Romæ in Sacerdotali ministerio (viuente adhuc Petro) fuerat præfectus. Vir optimus fuit, atq; Sanctissimus: qui apud Romanos doctrina, moribus, & dignitate plurimùm valuit. Nihil iste quidẽ prætermisit, quod ad augendam Christi Ecclesiam pertineret. Præsbyteros vigintiquinq; iussu Beati Petri ordinauit. Vt hinc quoq;, & ex aliorũ mox sequentium Põtificum vitis plusquàm manifestum sit, non fieri in ecclesia Christi Sa-
7 cerdotes absq; Pontificum ordinatione. † Primus literis Papæ Salutem, & Apostolicam benedictionem, inscripsit. Deniq; de sede Diui Petri, seu ecclesia, optimè meritus martyrio coronatur, Anno sui regiminis vndecimo, mense vno, diebus vndecim. Sepelitur in Vaticano prope sanctum corpus Beati Petri.

Clemens Primus. P. M.
Cap. IIII.

CLemens patria Romanus, de regione Cœlii montis, patre Fauſtino, Domiciani temporibus Cleto in pontificatu ſucceſsit. Qui in ordine Sanctorum Pontificum Quartus (vti ex Epiſtola ad Beatum Iacobum, Hieroſolimitanum Epiſcopum miſſa cõſtat) Romæ Epiſcopus fuit. Non defuerẽ tamen pleriq; latinorũ, qui exiſtimarunt, Clementem hunc, ſecundum à Diuo Petro Romæ fuiſſe Epiſcopũ. Verùm hic omnium modeſtiſsimus Linum, & Cletũ ſpontè ſibi in tanto labore prætulit. Qui cùm doctrina, religione, ac pietate, inſignis haberetur, Epiſtolas Eccleſiæ nomine ædidit. Dein Eccleſiam Romanam inſtitutis, ac moribus cõfirmaturus ſtatuit, ne quis Epiſcoporum unquã, abſente Diacono, celebrare præſumeret. † 8
Ex cuius quidem præcepto, & voce ſatis conſtat, celebrationem Miſſæ vel à Diui Petri uſq; tẽporibus vſitatam in Eccleſia fuiſſe, id quod paulò inferius in vita Alexandri, & Sixti, conſpicuè identidem cernitur. † Vetuit item Lay- 9
cis Clemens, quenquàm clericorum accuſare. Regiones ſeptem Notariis diuiſit, qui geſta Martyrum diligenter conſcriberent. Tanta deniq; indies pietate, doctrina, & religione, clarebat, vt multos ad Chriſti fidem quotidiè trahe ret.

Ob id P. Tarquinius Sacrorũ Ethnicorum princeps, vnà cũ Mamertino Vrbis præfecto, Traianum Cæsarem in Christianos concitauit: cuius nempè Cæsaris imperio Clemens in Insulã est deportatus. Quo in loco circiter duo millia Christianorum, qui ad secanda marmora illic erant damnati, reperit. Enimuerò cùm inibi aquæ penuria grauiter laboraretur (sexto quippè miliario aqua potui conueniẽs distabat) Clemens populi calamitate permotus vicinum collem ascendit: vbi Agnum conspexit, sub cuius dextro pede fons aquæ affatim scaturiẽtis diuinitus apparuit. Quo fonte & omnes recreati sunt, & multi ad fidem conuersi. Sed ea res Traianum exciuit, vt missis Satellitibus Clementẽ, depẽsa anchora de collo eius, decimo Kal. Decembris in mare eiicerent. Cuius sanctissimũ corpus haud multò post in Littore est repertũ, & apud fontem posteà humatum. Sedit annis nouem cum decẽ diebus. Vacat tum sedes per obitum illius dies .xxii.

Anacletus. P. M.
Cap. V.

AGebatur tum fermè annus Christi centesimus secundus, vbi defuncto Clementi Anacletus Græcus, Athenis oriundus, in Pontificio munere successit. Anacletus res à Beatissimo Petro gestas ordine disposuit. Loca, vbi Marty

res ſeorſim à plebe ſepelirentur, ſapienter con
conſtituit. Nàm quemadmodum meritis hi lõ
gè à reliquis diſtabant, ita & locus non debuit
eſſe omnibus idem. † Qua re non obſcurè mo 10
nemur, hæreticorum cadauera non eſſe catholi
corum ſepulchris inferenda. Licet hodie longè
alia exempla in quibuſdam locis etiam catholi-
cis obſeruata pluſquàm ſæpè conſpexerim. Tu
mulari enim defunctos vidi fætidiſsima hæ-
reſi palàm pollutos in cæmiteriis, & templis ca
tholicis. Quod iniquisſimum planè eſt, & ab
omni ratione auerſum: ut hæretici, qui templa,
et ſacra, catholicorum viuentes execrantur, ac
fugiunt, in iiſdem piis templis inueniant mor-
tui cadaueribus ſuis requiem, ipſiſq; fruantur.
Sed Anacleti geſta ex Germanis repetamus. *Sta*
tuit prætereà Anacletus, nè Epiſcopus à pau-
cioribus, quã tribus Epiſcopis, ordinaretur: ſim
plex verò Sacerdos ab Epiſcopo. Item nè Epi-
ſcopus alienæ ſubiectos diœceſi ordinare aude
ret, cauit. Cuius quidem inſtituti plures, quàm
vna, rationes reddi poſſent: illarum tamen po-
tiſsimam eam arbitror: vt quia boni paſtoris eſt
officium, habere cognitas atq; perſpectas oues
ſui gregis, ita quoq; ipſe ad ſacros ordines ſolũ
promoueat ſuæ iuriſdictionis homines, ut potè
ſibi benè cognitos. † Hinc haud obſcurè depræ 11
hendi licet, ex inſtituto primitiuæ Eccleſiæ, nõ
eſſe in ſacris ordinandos homines obſcuros, in

c. ex eo nõ debet. de reg. iur. lib. 6. l. Alia. c. de his quib. ut indign. l. Papinianus §. meminiſſe. ff. de inoff. teſtamen. facit. c. Vergẽtis extra de hæret. et. c. oĩs utriuſq; ſexus. extra de pœnit. et remiſſ.

Ioannis. 10.

cognitos: quorum mores, eruditionem, & deniq; vitam omnem Episcopus exactè non calleat. Incogniti enim homines, rudes, & malè morati, si præficiantur Ecclesiæ Dei, cæcã plebem cum tot animarum interitu cæci ducunt, & omnes à Deo destituti in foueam cadũt. Ad sacros item ordines Sanctus Pontifex semel in mense Decembri promouit sex in Episcopos diuersis in locis: Romæ autem præsbyteros quinq;, & Diaconos tres. Nouissimè post annos sui regiminis nouem, menses duos, & dies decem, sub Traiano Martyrium patitur. Vacat tum Petri sedes diebus tredecim.

Matth.xi.15.
Luca.6.

Euaristus. P. M.
Cap. VI.

ANnum Christi nati circiter vndecimũ & cẽtesimum Euaristus Romanæ Ecclesiæ gubernacula suscipit. Græcus quidẽ natione fuit, & patre Iudæo genitus, ex Bethleem ciuitate oriundo. Vir quippè iustus, & integer: Titu-
12 los in Vrbe Roma Præsbyteris primus diuisit.† Diaconos septem constituit, qui Episcopũ præ-
13 dicantem accuratè obseruarent. † Statuit, nè plebis accusatio contra Episcopum recipere-
14 tur. † Clandestina matrimonia vetuit: id quod et hodie à Sancta Tridentina Synodo est æq;
15 rursus constitutum. † Et vt sponsus cum sponsa benedictionem à Sacerdote reciperet insti-

tuit. Ordinationes ter habuit mense Decembri: quibus præsbyteros sex, Diaconos duos, Episcopos diuersis in locis quinq; creauit. Posteà verò quàm annos nouem, menses decem, et dies duos Christi Ecclesiam Romæ piè rexisset, Martyrio coronatur sub Hadriano nondùm erga Christianos placato. Tumulatur eius Sãctũ corpus in Vaticano apud Diuum Petrum.

Alexander Primus. P. M.
Cap. VII.

POst Euaristum Petri sedem rexit Alexãder
Papa eius nominis primus: Ciuis Roma-
nus, ætate iuuenis, sed moribus atq; pruden-
tia grandæuus. Is sua sanctitate atq; scientia ma
gnam Senatorum partem ad Christum conuer
tit: rei diuinæ curam studiosissimè gessit: † de 16
creto suo excõmunicauit illos, qui Apostolico
legato molesti forent: † Vetuit, clericos apud 17
seculares iudices accusari. † Statuit, ut vnam tã 18
tum missam in die quilibet Sacerdos celebra-
ret, † & oblatio non ex fermẽtato, sed ex azimo 19
fieret. † Item primus in sacrificio (ob memo- 20
riam passionis IESV Christi) addidit illa verba,
Qui pridiè quàm pateretur, &c. † Instituit, ut 21
aqua benedicta sale admixta adhibitis sacris ora
tionibus fieret, in templisq; et cubiculis ad fu-
gandos Demones haberetur. Demum inter
innumera eius ædita miracula Balbinam Quiri

ni Tribuni filiam protinus sanitate donauit:& ipsum Tribunum cum tota eius familia salutari aqua baptismi perfudit. Nouissimè tandem ordinationes ter habuit mense Decembri: quibus episcopos quinq;, præsbyteros sex, Diaconos tres fecit: dein martyrium vnà cum Euentio & Theodoro Diaconis patitur, posteaquã sedisset Christi Vicarius annos decem, menses septem, dies duos. Vacat tum sedes diebus viginti quinq;.

Sixtus Primus. P. M.
Cap. VIII.

ALexandrum Sixtus primus in Romana Diui
Petri sede consequitur: patria Romanus:
Qui Sanctæ Ecclesiæ (uti par erat) studiosior,
22 præcepit, † nè à quoquàm sacrorum mysteria
23 (nisi ab ordinatis ministris) tractarentur, † sacraq; vasa tangerentur, maximè verò à fæminis. Corporale, quo in celebratione Missæ Sacerdotes vtuntur, non ex alio, quàm ex puris-
24 simo panno lineo, fieri iussit. † Voluit item inter celebrandum, vt Sacerdos adderet cœlestia illa verba, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Cùm autem eo tempore ob frequentes in Christianos cædes, pauci reperiren-
25 tur, qui Christo nomẽ dare auderent: † Sixtus ciuem quẽdam Romanum, nomine Peregrinum, Episcopum in Galliam misit: qui Gallos

Christianos posteaquàm in fide confirmasset, auxissetq́;, martyrio est coronatus. At verò Sixtus vbi ter mense Decembri ordinationes habuisset: quibus præsbyteros xi. diaconos quatuor, & Episcopos diuersis in locis quatuor cō stituisset: martyrii corona donatur. In Vaticano apud Diuum Petrum sepelitur. Rexit Christi Ecclesiam annos decem, menses tres, dies uiginti unum. Vacat tum Pontificia sedes biduū.

Telephorus. P. M.
Cap. VIIII.

Sixto primo succesit Telesphorus, natione
Græcus, in Pontificatu: Vir nempe magnæ
virtutis & doctrinæ. † Præcepit iste, ut septē 26
hebdomadibus proximis ante pascha ieiunium
obseruaretur: † vtq́; in sancta nocte Natalis Do 27
mini Nostri Iesv Christi tres Missæ ab vnoquoq́;
Sacerdotum celebrarentur: † Consti- 28
tuit idem, cani in missa ante cōsecrationem hymnum illum, Gloria in excelsis Deo, &c. Enim uerò vbi ordinationes quatuor mense Decembri habuisset, creassetq́; præsbyteros quindecim, Diaconos octo, Episcopos tredecim: Martyrium subiit, post annum sui Pontificatus vndecimum, menses tres, & dies. xxii. Sepelitur in Vaticano apud sanctum corpus beati Petri. Vacat tunc sedes dies septem.

Hyginus. P. M.
Cap. X.

RExit ſedem Petri poſt Teleſphorum Hygi
nus, patria Athenienſis. Hîc Papa clerum
Romæ prudẽter in ordinem redegit: graduſq;
29 diſtribuit. † Conſtituit, nè templa abſq; cele-
30 bratione Miſſæ dedicarentur; † neuè augeren-
tur, aut minuerentur ſine iudicio Metropoli-
31 tani, vel Epiſcopi. † In baptiſmo alicuius crea-
turæ, aut confirmatione, noluit plures, quàm
vnum patrinum & vnam matrinam, interueni-
re. Vir planè doctiſsimus: qui Epiſtolam ma-
gnæ eruditionis refertam, de Vnitate & Trini
tate Dei, cunctis Chriſti fidelibus ſcripſit. Tan
dem de Eccleſia Chriſti benè meritus, cùm or
dinationes ter Decembri menſe habuiſſet: qui-
bus Epiſcopos ſex, Præsbyteros. xv. & Diaco-
nos quinq; creaſſet, Martyrio inſignitur: & in
Vaticano apud ſanctum Petrum ſepelitur: An-
no adminiſtratæ per eum Eccleſiæ quarto, men
ſe tertio, diebus quatuor. Vacua tum remanet
Sancta ſedes quatriduo.

Pius Primus. P. M.
Cap. XI.

PApam Pium, huius nominis primum, poſt
32 Hygini obitum excepit Romana ſedes. †
Qui natione Italus, patria Aquileięſi, Sanctum

resurrectionis Pascha die Dominico celebrari iubet. Sacerdotibus, qui in attrectando Venerabile Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi segniter essent versati, pœnam indixit: & qua ratione sacer effusus sanguis colligi deberet, pulchrè docuit. Ordinationes mense Decembri quinquies habuit: & in his vndeuiginti Præsbyteros, Diaconos vndetriginta, & Episcopos decem creauit.
† Statuit prættereà hîc re & nomine Pius Papa, 33
illos, qui fundos Ecclesiarum, aut alia quæuis earum bona, seu ipsas Ecclesias, proprio ausu occuparent, humanis vsibus adiicerent, diuino cultui subtraherent, aut Ecclesiarum ministros persequerentur, sacrilegos iudicandos. Huc erigāt aures nostri sæculi Reges, Principes, Ciues: si prædia, si clenodia, aut alia quæcūq; Ecclesiarum bona, siuè etiam ipsa Dei templa occuparunt, aut spoliarunt; si Ecclesiastica bona rapuerunt Deo, subtraxerunt cultui Diuino, cōuerterunt illa in vsus humanos: furtum manifestū Deo fecerunt. Illa enim bona ecclesiarū (sicut & alia) pro cultu diuino, pro gloria, pro seruitio Dei omnipotentis, & necessitatibus sanctæ Ecclesiæ fuerunt Ecclesiis collata: & illi sibi, ac suis in humanos vsus immaniter rapuerunt. Proptereà sanctus Papa Pius, dignus pro nomine. Iesu Christi Martyrium subire, plenus Spiritusancto, Vos, ô Reges, Principes, & Ciues,

bonorum Dei raptores, sacrilegio sic deuouet, sacrilegos esse pronunciat. Ad Germanicam fidem redeo. Sedi autem Pontificiæ Romanæ præfuit cũ magna laude Pius annos vndecim, menses quatuor, dies tres. Demum IESV Christi Martyr fœlicissimè obiit. Eius corpus in Vaticano apud Sãctum Petrum tumulatur. Tum vacat Apostolica sedes dies tredecim.

Anicetus P. M.
Cap. XII.

POst Pium Anicetus Papa, origine Syrus, vir moribus, & sanctitate insignis, ad Ecclesiæ Dei regimen accessit. Is clericorũ moribus
34 consulẽs cauit, † nè clerici comã, iuxta Apostoli sententiam, nutrirent. Istud verò primitiuæ Ecclesiæ institutum non seruant clerici Germani: qui detonsa barba, quæ est virorum insigne, comas, quæ fœminarum propriæ sunt, vetusto patriæ vsu nutriunt. Alia deniq; plura pro seruitio Ecclesiæ constituit: quæ commemorare lõgum foret. At vbi ordinationibus quinq; Decembri mense habitis, præsbyteros nouemdecim, diaconos quatuor, & Episcopos nouem fecisset: martyrio coronatur, post annos sui regiminis vndecim, menses quatuor, dies tres. Sedes ab eius martyrio dies septemdecim Pastore caret.

Sother. P. M.
Cap. XIII.

CONsequitur in ordine Pontificum Romanorum Anicetum Sother Campanus, fundano oppido oriundus. Qui licet in multis cõstitutus periculis: animum tamen à re diuina nunquàm reuocauit. Vetuit is aliquam Monialium attrectare pallã, siue Sacerdotis pallium, quo utitur in celebrando, calices, patenas, corporalia, thus in accerram immittere, dum sacra fierent: & alia id genus multa diuino cultui per commoda cauit. Constituit præterea, ne qua haberetur vxor legitima, cui Sacerdos ex instituto non benedixisset; & parentes de more solenniter nuptui eam non elocassent. Ordinationibus Decembri mense quinquies factis, præsbyteros octo, diaconos nouem, & episcopos vndecim creauit. Deniq; Martyrio coronatur posteaquàm annos nouem, menses tres, dies vnum & viginti Sanctæ præfuisset Ecclesiæ. Sepelitur via Appia in Cœmiterio Calixti. Vacat illo tempore Romana Sedes dies. xxi.

Eleutherius. P. M.
Cap. XIIII.

AD Eleutherium summa rerum in Ecclesia Dei hoc tempore defertur. Qui Græcus natione, ciuis Nicopolitanus, noluit vllum cibi genus

genus, quo vesceretur humana consuetudo, superstitiosè respui. Ob id sæpiùs audiui nouæ simul & vanæ religionis homines conquerentes de abstinentia carnium, quam certis anni temporibus, ac diebus Romani Pontifices interdixerunt: quum tamen Eleutherius Papa rectius sentiens, inquiunt illi, nemini quicquam prohibitum esse voluerit. Verùm quia spiritus vertiginis nunquàm sinit obsessos rectè interpretari scripturas, aut de rebus sanctæ Ecclesiæ iudicare: Ideoq; in deterius miseri nunquàm non
36 ruunt. † Veritas hæc quippè est: viguisse Sacti Papæ Eleutherii temporibus Seuerianorum hæresim: qui superstitiosè à nonnullis cibis perpetuò abstinendum prædicabant, uti omnes hystorici, qui ea de re scripserunt, testantur: meritò Eleutherius Papa id superstitiosè fieri contra Seuerianos prohibuit. Tantũmodò enim superstitionem hæreticorum cohibitam, atq; repræssam, eo loco Papa voluit. Porrò cultioris latini sermonis scriptores aiunt: superstitionẽ in illo esse, qui sine causa, inani & superfluo timore afficitur, Deum in rebus etiam non timẽdis metuens. Vnde Seueriani abstinentiæ causam in superstitione ponentes iure reprahensi sunt à sancto Eleutherio Papa. At verò ieiuniũ nemo superstitiosè seruat: siquidem à Christo fuerit obseruatum, & ieiunandi modus præterea traditus: à sancto Petro, Ecclesiæ, & Aposto

lis dein præceptum: quemadmodum anterio-re loco in ipso Petro, necnon & in Telesphoro pridem annotauimus. Quamobrem etsi in ipso ieiunio indicitur abstinentia carnium, quo mens ieiunantis magis soluta titillationibus carnis, Deo liberius assurgat, & ieiuniũ perfectius agat: non tamen superstitiosè, sed sanctè, ad tẽpus quis tum abstinebit à carnibus. Deniq; vel ex ipso quoq; Eusebio libro. v. cap. vi. conspicuum est, Eleutherium Papam tum non sensisse de sancta abstinentia ieiunii: sic nãq; Eusebius singulos penè à Diuo Petro vsq; ad Eleutherium Pontifices commemorans, in hæc propè verba scribit: Iam verò Eleutherius duodecimo loco ab Apostolis episcopatũ sortitus est: Eodẽ ordine, eadẽ doctrina, & traditio Apostolorum in Ecclesia, & veritatis prædicatio ad nos vsq; peruenit. Si ergò (Eusebio teste) eadẽ doctrina, si eadẽ Apostolorũ traditio, &c. ad Eleutheriũ vsq; & ultra tũ peruenerat: necessum est, Eleutheriũ nihil prorsus de ordinationibus suorũ antecessorum, aut de ieiunio, imminuisse aut immutasse. Stuporem mentis illorum, qui in barathrum hæresum præcipites dilabuntur, quis non mirabitur? quum & illud Eleutherii aduersus Seuerianos decretum si dubiũ fuisset, vti nunquàm fuit, longissima tamen obseruati posteà ieiunii cõsuetudo illud vtiq; ad ieiuniũ haud pertinere, declarasset. Sed cœpta ex Germanis

l. si de interpretatione. ff. de legib.

manis referre pergamus. Vetuit Eleutherius, quenquam de gradu suo deiici, qui de crimine prius non esset conuictus. Huic decreto male obtemperarunt hæretici, vbi Episcopos, Abbates, & cuiuscunq; gradus Clericos de sedibus atque ecclesiis Dei (solius rapinæ ergò) eiecerunt, proculq; fugarunt. Hoc Pontifice, pax et quies ecclesiis est parta. Nomen Christianum vniuerso in orbe mire est auctum, Romæ præsertim: vbi ex nobilitate permulti patres familias cum liberis atq; coniugibus salutari aqua baptismi sunt perfusi. Initio sui Pontificatus literas à Lucio Rege Britano accepit: quibus se ac suos in Christi album recipi petebat. Quare Fugatio & Damiano, viris optimis, à Pontifice ad Britannum missis, ipse Rex cum reliquis suis ad Baptismum, & in gremiū Ecclesiæ est susce-
37 ptus. † Beneficiū insigne Apostolicæ Sedis Romanæ, & sanè maximum erga vniuersum Angliæ Regnum. Nam quàmuis Ioseph ille ab Arimathæa, qui (teste Matthæo Euangelista) Saluatoris Mundi corpus Sepulturæ tradidit, omniū primus credatur primordia Christianæ religionis in Anglia iecisse: attamen tempore Lucii Angliæ Regis exoleuerat ibi (ut Anglici Annales referunt) nomen Christianum: propterea Sanctus Eleutherius Papa, Christi Vicarius, opportunè tùm maxima religionis fundamenta per suos legatos ibi posuit. Tribus demū or-
dinationibus

dinationibus, quas mense Decembri habuit, Episcopos quindecim, Præsbyteros duodecim, & Diaconos octo fecit: Nouissimè martyrium pro nomine IESV Christi patitur, vbi annos xv. menses tres, & biduũ, ecclesiã gubernasset. Sepelitur in Vaticano apud Diuũ Petrũ.

Victor Primus. P. M.
Cap. XV.

AD Victorem natione Afrum summi Apostolatus dignitas post Eleutheriũ defertur. Qui sanctum Pascha (sicuti prædecessor Pius anteà præceperat) die dominico celebrari voluit. Insuperq; addidit, ut à decima quarta Luna primi mensis vsq; in xxi. ipsum Pascha haberetur: nè Christiani Iudæos, qui decima quarta Luna suum Pascha colunt, imitari viderentur. Id quod & in Nicæna Synodo fuit posteà comprobatum. Hic quum doctissimus esset aliqua de religione volumina cõscripsit. Demùm, vbi ordinationes duas mense Decẽbri fecisset, Martyrio coronatur. Rexit Ecclesiam annos decem, menses tres, dies decem. Sine Vicario permanet tum Christi ecclesia dies duodecim.

Zepherinus. P. M.
Cap. XVI.

SVbrogatur hoc tempore Zepherinus Victori Martyri, patria Romanus: vir quippè Sanctissimus,

ctissimus, diuinæ rei magis, quàm humanæ, ad dictus. Is statuit, ut ordinaretur Leuita, & Sacerdos præsentibus seu astātibus multis fidelibus. *c. ordinationes præsbyterorū. 75. distinct.*

38 † Cauit præterea, ut consecratio præciosissimi sanguinis Christi in vitreo vase, non autem in ligneo, ut anteà, fieret. Licet posteà ea constitutio in Tyburiensi & Rhemensi Concilio fuerit aliter instituta: nempè ne consecratio sanguinis fieret in ligneo vase, ob ligni ipsius raritatem, qua nimium liquoris imbibitur: neuè in vitreo, ob eius fragilitatem: sed in vase aureo vel argenteo, aut stanneo, deinceps haberetur. *c. Vasa. c. Vt calix domini. de cōsecra. distin. 1.*

39 † Ad hæc, sanctissimus Zepherinus voluit, omnes Christianos, qui pubertatis annos attigissent, singulis annis in sanctissimo die Pascæ sacram Eucharistiam, præmissa scilicet peccatorū confessione, publicè sumere. Id quod Innocentius iii. postea quoq; adiecta pœna cauit. *In. c. omnis utriusq; sexus. ex. de pænit. et remissionib.*

40 † Cùm itaq; eodem semper Sancto spiritu, eadēq; summorum Pontificum successione id ipsum in hūc vsq; diem in ecclesia Dei Romana iugiter factum sit: qua ratione poterit hodiè ipsa Ecclesia Romana alia, quàm olim primitiua, ab hæreticis impudentissimè censeri? Absit hoc ab opinione bonorum virorum, vt in vno, eodēq; Sancto spiritu, in vna eademq; iugi Pontificū successione oborta fuerit (quemadmodum impii impiè ganiunt) noua, & adulterina Ecclesia. Sed Germanos repeto. Nouissimè autem

quum

quũ ordinationibus quatuor Zepherinus multos creasset Episcopos,& Præsbyteros,atq; diaconos, martyrio Romæ coronatur. Sepelitur via Appia in Calixti cœmiterio. Sedit Christi Vicarius annos octo,menses septem,dies decẽ.

Calixtus P. M.
Cap. XVII.

AD Calixtum patria Romanum Pontificium munus tũm fuit delatum: Virum sanè diuinum,atq; prudentißimũ. Qui rebus mirè turbatis,ob Imperatorum tyrannidem ab officio suo nunquàm recesßit. † Ieiunium in anno qua 41
c.Ieiunium quod ter in anno.76. distinc.
ter certis statis diebus haberi voluit: Quibus deinceps temporibus sacrorũ ratio habita est;† 42
Licet prius Decembri mense tantum ordinationes de more in Ecclesia fierent. Cœmiterium quoq; via Appia de suo nomine condidit: Vbi multorum Martyrum corpora recondita fuerunt. Cæterùm quum Palmachium virum cõsularem,& Simplicium Senatorem,atq; Fœlicẽ, virum nobilem,vnà cum eorum familiis baptizasset: multosq; Episcopos, ac Præsbyteros ordinasset, ab Alexandro Imperatore martyrio necatur. Sepelitur in Calipodii Cæmiterio,via Aurelia,posteaquàm annos sex, mẽses decem, & dies decem Vicarium IESV Christi in terris accuratißimè egisset.

Vrbanus Primus P. M.

Cap. XVIII.

VRbanus huius nominis primus, ciuis Romanus, summus Pontifex constituitur. Vir siquidem doctrina & sanctitate vitæ eminentissimus. Qui multos suo exemplo, & eruditione ad fidem IESV Christi traxit. Inter hos autem fuit Valerianus vir sanè præstantissimus, Sanctæ Ceciliæ martyris sponsus, necnon & Tiburcius eius frater: qui posteà & ipsi martyrium con-
43 stanti animo tulerê. † Hic Pontifex præcepit, nè posthac aliquis in Episcopum eligeretur, nisi prius aut Sacerdos, aut Diaconus fuisset cōse-
44 cratus. † Statuit etiam ut prædia à fidelibus Ecclesiæ oblata reciperentur. At vbi ordinationes mense Decembri quinquies habuisset: quibus præsbyteros nouem, Diaconos quinq;, episcopos nouē, creasset, martyrio coronatur. Ecclesiam Christi rexit annos quatuor, menses decem, dies duodecim. Vacat tùm sedes diebus triginta.

Pontianus, Antherus, P.P. M.M.

Cap. XVIIII.

POntianus natione Romanus Vrbano successit. Qui cùm optimus vir atq; sanctissimus esset, in Sardiniam insulam cum Philippo præsbytero, Cæsaris iussu, deportatur. Vbi multas

calamitates & tormenta pro Christo perpessus tandem moritur anno suæ administrationis nono, mense quinto, & biduo. Vacauit tū Petri sedes dies. x. Illius corpus posteà mādato Fabiani Pontificis Maximi Romā fuit honorificè delatū, & in Cœmiterio Calixti via Appia humatū.

Huic subrogatur Antherus, patria Græcus, vir optimus quippè & sanctus. Is omnium primus gesta sanctorum Martyrum à Notariis describi, & in ærario Ecclesiæ recondi iussit: nè illorum memoria cum uita extingueretur. † Statuit ad hæc, posse Episcopum (si ita subditorum necessitas, atq; vtilitas poscerent) omisso eius episcopatu, ad alium transire: accedente tamen summi Pontificis Romani auctoritate. Postremò vbi vnum tantùm creasset Episcopum, martyrio coronatur, post annum sui regiminis vndecimum, mēsem vnū, dies duodecim. Vacat tùm sedes diebus xiiii. 45

Fabianus P. M.
Cap. XX.

DEfuncto Anthero, Fabianus ciuis Romanus, dùm in via de nouo Pontifice eligendo colloqueretur, † columba repentè capiti eius astitit. Quarè Fabianus eo indicio ad summum Sacerdotium diuinitus electus, protinus regiones vrbis septem Diaconis diuisit: qui à notarijs res Martyrum gestas studiosè colligerent, 46

ad

ad exemplum cæterorum, qui Christi fidē pro fitebantur. Cœmiterium honorificū pro mar-
47 tyribus extruxit. † Voluit, ut singulis annis in cœna Domini Chrisma renouaretur, & vetus in ecclesia combureretur. Posteà verò quàm ordinationibus quinq;, mense Decembri, factis Præsbyteros xxii. Diaconos septem, & Episcopos vndecim creasset, martyrio insignitur, anno sui Pontificatus xiiii. mense vndecimo. †
48 Huius Pontificis tempore Nouatiana hæresis cœpit, ac deniq; postero tempore etiā sopita est. Nouatianus enim præsbyter adfirmabat, apostatas, ut ut pœnitentes, non esse recipiendos in gremium Ecclesiæ. Is quoq; Nouatianus summa ope cōtendit, nè Cornelio, qui Fabiano successit, sedes Petri deferretur. Quam sanè sedē ipse sibi auidius ambiebat, ac pro summo Pontifice sese indignè aliquandiu gerebat.

Cornelius P. M.
Cap. XXI.

CORnelius Roma oriundus, vir pius, atq; doctissimus, Fabianum in Pontificatu consequitur. Multas is scripsit Epistolas: vnam siquidem Fabio Antiocheno Episcopo, de Romana Synodo, quæ sexaginta Episcopis contra Nouatianum hæreticum fuerat celebrata: aliam de Nouatiano hæretico: tertiam de gestis memoratæ Synodi. Verùm, instigantibus hæreticis,

Cornelius Centumcellas in exiliũ mittitur. Ad
quem Cyprianus Carthaginensis Episcopus in
carcerem coniectus literas misit. Quibus intel-
lexit Cornelius, & amici calamitatem, & sui exi-
lii confirmationem. Extant & aliæ pleræq; Cy
priani ad Cornelium epistolæ, plenæ religionis
atq; diuini amoris. † Priusquàm hîc in exilium 49
abiret, suadente Lucina matrona sanctissima,
Petri & Pauli Apostolorum corpora è Cathe-
cumbis, vbi minimè tuta esse videbantur, no-
ctu aufert: † Lucina Paulum in prædio suo via 50
Ostiensi, vbi fuerat decolatus, collocat: Petrũ
Cornelius ad radices aurei montis in Vaticano,
vbi crucis martyriũ subiit, recondit. Toto suo
Pontificatu bis mense Decembri potestatẽ fe-
cit, ordinationes habendi. Demùm reuocatus à
Decio Cæsare Romã plumbatis cæditur: subin-
dè in templum Martis, quò simulachrum illius
adoraret, ducitur. Cæterùm quum nihil profi-
ceret in sua malitia Decius, vltimo supplicio Sã
ctum Cornelium adfecit. Qui quidem Beatis-
simus Pontifex, ad Martyrium dum traheba-
tur, omnia bona sua Stephano Archidiacono
commisit. Huius corpus Sancta Lucina noctu
sepeliuit in arenario prædii sui. Rexit Sãctissi-
mus Papa ecclesiam Dei annis duobus, mensi-
bus duobus, & triduo. Vacat tum Petri sedes
dies trigintaquinq;.

Lucius Primus P. M.
Cap. XXII.

AD Lucium Romanum ſumma rei Chriſtianæ poſt Cornelium deuenit. Qui fuit initio ſui Pontificatus in exilium actus: dein tandem Romam reuerſus cauit: ut duo præsbyteri, & tres diaconi ſemper & omni loco præſtò eſsẽt, ceu teſtes actionum & vitæ, epiſcopo. Ter autem in toto eius Pontificatu ordinibus ſacris conferendis fuit occupatus. Enimuerò priuſquàm ad Martyrium duceretur, omnem Eccleſiæ poteſtatẽ Stephano Archidiacono ſuo permiſit. Martyrium deniq; paſſus ſepelitur in Cœmiterio Calixti: dum tenuiſſet locum Petri annis tribus, mẽſibus tribus, & diebus totidem. c. Iubemus. de cõſecrat. diſtinc. 1.

Stephanus Primus P. M.
Cap. XXIII.

STephano Romano primæ Eccleſiæ cura, ſublato Lucio, eſt delata. Vir ſanè optimus ad ordinandã Eccleſiam conuerſus ſtatuit: nè Sacerdotes & Leuitæ ſacris veſtibus alibi, quàm
51 in eccleſiã & ſacris peragendis, vterentur: † neuè à quoquàm alio, quàm à ſacratis hominibus, huiuſmodi hæc contingi deberent. Alioquin pœnam Balthaſaris Babyloniæ Regis his,
52 qui ſecus feciſſent; interminatus eſt. † Audite igitur ſæculi huius principes, quos catholicum

nomen

nomen Christianum iuuat, quid sanctus Stephanus Papa, & IESV Christi Martyr, vobis & Regnis vestris interminetur. Accepistis, sub specie defensionis, atq; tutelæ, multarum ecclesiarum, & plurimorum Monasteriorum sacras vestes, aurea & argentea sacra vasa, (scio ipse) cruces argenteas, & quicquid deniq; preciosum in Thesauris Monasteriorum fuit: illaq; omnia in arcibus vestris occlusa pro thesauris vestris, nimia licentia forsan adhuc retinetis. Audite principes, qui ab vnitate ecclesiæ, à Christi charitate, vltrò magna vestra proteruia recessistis: rapuistis Deo, & ecclesiis eius, quicquid auri et argenti illis fuit: & vestro manifesto furto, vestra infami rapina, Deum ad iracundiam prouocastis. Audite, inquam, quid vobis omnibus multa ante sæcula sanctus Stephanus Papa Romanus prænunciet: pœnam nempè Balthasaris Babyloniæ Regis.† Qui vasa aurea & argentea templi Hyerosolimitani quum attrectasset, illisq; in conuiuio abusus fuisset, & vita, & regno simul, ad Medos & Persas translato, est priuatus. Ad Stephanum Germanicamq; fidem redeo. De rebaptizandis autem his, qui ad fidẽ redijssent, Stephanus cũ summo Pontifice Cornelio sensit: nempè nullo pacto illis esse communicandum, qui rebaptizandum censerent. Deniq; quum uitæ exemplo, & ui sermonis Gẽtiles permultos Christo lucrifecisset: ad martyrium

c. Vestimẽta. cũ capitulo præcedẽti. de cõsecrat. distinct. 1. Danielis 5. 53

rium

rium vnà cum plerisq; aliis sanctis viris rapitur, ac capite mulctatur. Rexit Dei ecclesiam annis septem, mensibus quinq;, diebus duobus. Sepelitur in Calixti cœmiterio, viâ Appia.

Sixtus Secundus P. M. Cap. XXIIII.

SIxto Atheniensi Philosopho, viro doctissimo, & IESV Christi discipulo facto, summa Ecclesiæ Dei Romæ hoc tempore cōmittitur. Is obortas Sabellianorum et Nepotianorum hæreses extinguere conabatur: quando accusatus, quòd Christi fidem aduersus Imperatorum decreta palàm prædicaret, ad Martis templū ducitur; quò Marti sacrificet, aut capitis pœnam luat. Deniq; nolentem Marti sacrificare, raptū ad supplicium Sanctus Laurentius, Archidiaconus eius, atq; discipulus, ita alloquitur: quo pergis sine filio pater, & sine ministro properas? Cui Sixtus: Ego te non desero, fili, maiora enim te pro Christo manent certamina: post triduū me sequeris Sacerdotem Leuita: Interim autē si quid in thesauris habes id pauperibus elargire. Eodem die sex Diaconi vnà cum sancto Sixto Papa Martyrium fuerē passi. Humatū fuit corpus Sixti in cœmiterio Calixti. Bene sanctèq; rexit Ecclesiam Dei annos duos, menses decem, dies tres & uiginti. Qui toto suo Pontificatu bis mense Decembri potestatem fe-

cit ſacras ordinationes habendi. Vacat tùm ſe
des trigintaquinq; dies.

Dionyſius P. M.
Cap. XXV.

DIonyſius, cuius origo nos latet, ex Monaco
Chriſti Vicarius per hoſcè dies creatur. Præ
sbyteris Eccleſias, & cœmiteria inſignis hîc, do
ctrina, et ſanctitate, Dionyſius in vrbe diuiſit:
extra vrbem verò parochias & dioceſes: ſubin
dè præcipiens, ut quiſq; intra ſuos fines ſe con
tineret. Mandauit prætereà Iudicibus tàm ſæ
cularibus, quàm eccleſiaſticis, ut neminē dam
narent, priuſquàm teſtibus idoneis is eſſet con
uictus. † Obſeruate hunc locum impudētes hæ 54
retici: qui, perfricta fronte, negàtis Papæ Ro
mano eſſe ius coercendi (vbi res poſtulat) ſæcu
larem poteſtatem. Porrò Sanctus hîc Diony
ſius in primitiua (ut ita dixerim) eccleſia, ple
nus gratia & Spiritu ſancto, habitus dignus pro
Chriſto Martyrium pati, datam ſibi à Chriſto
poteſtatem exercens, ſæuiente tùm acriter in
ſeruos et martyres IESV Chriſti ira & odio Cæ
ſarum Romanorum, mandauit nihilominus Iu
dicibus (ſi teſtimonio veterum Germanorum
credimus) etiam ſæcularibus, ea, quæ ad illorũ
officium pertinere putauit. Sed de hac ſumma
maximaq; in cœlo, & in terra Papæ poteſta
te, inferius cōmodiore loco dicetur. Iam Ger-

manorum prosequamur historiam. Hic ergò licet vltimæ senectutis tunc esset: attamen generale cōcilium in Anthiochia ciuitate aduersus Paulum illius vrbis Episcopum indixit. Et quum sanctus Papa Dionysius, ob senium, in dicto concilio interesse nequiret: per Alexandriæ Episcopum, nomine maximum, in concilio functus est egregiè officio suo. Attendite hæretici, quid hoc loco fecerit in primitiua Ecclesia
55 sanctus Dionysius Papa Romanus. † Conciliū etenim Antiochienum sua auctoritate indixit, aperuit, fieri mandauit. Vt quid ergò, stulti, & Bardi hæretici, controuertitis, atq; negatis, ad Papam Romanum hanc indicendi generalis cōcilii pertinere potestatem? Videbimus nihilominus paulò post in Marcellino, Marcello primo, & aliis summis Pontificibus pleraq; alia id genus exempla. Ordinationes præterea toto suo Pontificatu (si Germanis credimus) bis habuit Decembri mense: quibus præsbyteros duodecim, diaconos sex, episcopos septem, ordinauit. Demùm Martyrio coronatus, traditur sepulturæ in cœmiterio Calixti: ubi annos sex, mēses duos, dies quatuor ecclesiæ præfuisset.

Fœlix P. M.
Cap. XXVI.

FOelix patria Romanus, vir iustus, omniq; laude dignißimus Vicarius Christi post Dio

nysium constituitur. Qui sacrificia martyrum quotannis à Christi Sacerdotibus deinceps ce-
lebrari, piè mãdauit: † utq; nullibi, quàm in lo 56
c. sicut non alij. de consecrat. distinct. 1. cò sacro, & à viris Deo ritè consecratis missa cè
lebraretur, præcepit. † Vt hinc quoq; Aduer- 57
sarios pudere debeat, permittere cerdonibus, & opificibus in Altari sacra nõ sacra facere, plebi scurriliter illudere, & Deum omnipotentẽ ad iracundiam prouocare. Idem Fœlix Dedicationes quoq; templorum solenniter celebrari voluit. Si de consecratione alicuius Ecclesiæ, vel propter temporis antiquitatẽ, vel propter parietum collapsorum demolitionem, dubitaretur: consecrari illam denuò iussit. Ordinationes mense Decembri bis habuit: quibus præsbyteros nouẽ, Diaconos quinq;, & Episcopos quinq; constituit. Dein fit IESV Christi Martyr, postea quàm annos quatuor, menses duos, cum quindecim diebus Ecclesiæ Dei Romanæ fidelissimè præfuisset.

Eutychianus P. M.
Cap. XXVII.

EVtychianus Hetruria Oriundus, vir sanctissimus atq; eruditus Fœlici defuncto successit. † Instituit, ut super altari nouis frugibus be- 58
nedicetur: Vuis præsertim & fabis. Ferunt, trecentos martyres ab ipso Eutichiano sepulturæ traditos. Ideoq; etiam cauit, nè, qui Martyres

tyres sepelire vellent, id absq; Dalmatica, Col lobione purpureo, facerent, ipso præsertim in scio. Decembri mense ordinauit præsbyteros quatuordecim, diaconos quinq;, episcopos nouem. Demum martyrio coronatur, vbi annum vnum, mensem vnum, cum vno die ecclesiam Dei piissimè gubernasset. Sepelitur in cœmiterio Calixti.

Caius P. M.
Cap. XXVIII.

SEdem Petri per hosce dies tenere cœpit Caius, origine Dalmatus, Diocletiani genere prognatus. Is planè fuit diuinus: qui ordines in ecclesia distinxit: quibus, ceu gradibus quibusdam, ad episcopalem quis perueniret dignitatem.
59 † Hi enim ordines huiusmodi fuerunt: Hostiarius, Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Præsbyter, & gradus episcopalis. Regiones quoq; (vti antea Fabianus Pontifex) Diaconis diuisit: qui gesta Martyrum cōscriberēt. Oborta deniq; sub Diocletiano tàm ingenti aduersum Christianos persequutione, quàm antehac nusquàm visa, subterranea loca, quæ Criptas uocant, sanctus Pontifex, latitationis ergò, petiit: Vbi et diu latuit. Verùm indè à persecutoribus vnà cum Gabinio eius fratre, & filia fratris Susana, extractus, martyrii palmam fœliciter est consequutus. Sepeli-

tur in Cœmiterio Calixti. Sedit annis vndecim, mẽsibus quatuor; diebus duodecim. Intra hoc temporis spacium quater mense Decembri ordinibus sacris operam dedit: creauitq; praesbyteros quinq; & viginti; diaconos octo; episcopos quinq;. Vacat tum sedes dies vndecim. Is vbi die ecclesiam Dei pijssimè gubernasset. Sepelitur in cœmiterio ...

Marcellinus P. M.
Cap. XXVIIII.

Marcellino patria Romano post Caii Pontificis martyrium totius ecclesiæ cura committitur. Qui cùm à carnificibus Diocletiani, & tortoribus induceretur magnis minis; & metu Deos adorare alienos; illisq; thura exhiberet: ad seipsum postea reuersus generale Concilium, quod cetum & octuaginta Episcoporum fuit, in Sinuessa Campaniæ ciuitate indixit. Ex qua concilii indictione est videre, non solùm sanctum Dionysium (ut antè ostendimus:) sed & sanctũ istum Marcellinũ, Christi martyres & vicarios, potẽstatẽ indicendi cõilii in primitiuá vsq; ecclesiá sub iure exercuisse: licet aduersarii eã potestatẽ Papæ Romano impie velint detractã. Ad cõciliũ igitur (ut germanos repetã.) Marcellinus ipse squallore & pulueribus penè cõfectus, cilicio indutus accessit: petiitq; ut pro illo crimine iusta sibi irrogaretur pœna. Verùm qui id faciẽdũ putaret, inuentus est planè nemo: siquidem omnes illi patres concilii

 dicerent:

dicerent, ea fermè ratione Diuum Petrum peccasse: qui oris fletu et cordis contritione peccati labem expiauerit.
61 † Noluerunt ergò patres concilii, qui centum & octuaginta numero episcopi fuerunt, Marcellinum Pontificem Romanum, ut potè caput omnium supremum, iudicare. Quàmuis Hæreticos hodie nô pudeat, censores, iudices, lictores, & carnifices (ut ita dixerim) in Romanos Pontifices agere, & capita eorum supra dominos suos, æditis etiã libellis infamibus, attollere: sed Marcellinum vnà cum Germanis intueamur. Redit proinde Romam Marcellinus, & Diocletianum iratus coram increpat: qui ipsum Diis gentium immolare coegerit. Tum Diocletiani iussu ad martyrium vnà cum multis aliis ducitur sanctus Pontifex: qui inter eundem admonet de via Marcellum præsbyterum, nè Diocletiani dicto sit audiens, in iis maximè, quæ ad Christi fidem pertinent: neuè corpus suum traderet sepulturæ, ut potè sepultura indignum, ob Saluatorê Mũdi negatum. Iussit autèm peculiariter Diocletianus, ipsius Marcellini corpus et aliorum cum eo necatorum Martyrum, corpora inhumata iacere in via publica ad dies sex & triginta. Postea verò per quietê Marcellus Marcellini successor à Diuo Petro monitus corpora illorum martyrum in cœmiterio Priscillæ, via Salaria recondit.

c. Nunc autẽ diuina. 21. distinc.

condit. Vixit in Pontificatu annis nouem, mẽ sibus duobus cum sedecim diebus.

Marcellus Primus P. M. Cap. XXX.

MArcellinum consequitur Marcellus Roma oriundus: qui multis vexationibus agitatus, nunquàm non tamen diuino cultui iugiter studuit. † Is piè statuit, nè quis generale Concilium absq; speciali Apostolicæ sedis Romanæ auctoritate celebrare posset. En ergò rursùm, vt concilia generalia absq; sanctæ Sedis Romanæ auctoritate nequaquàm fieri posśũt. Quod sanè verissimum est. Porrò ante marcellum Sãctus Dionysius, & sanctus Marcellinus, summi Pontifices Romani, eam pòtestatem indicendi concilia (ubi res postulauit) peculiari atq; proprio iure exequuti fuerunt: quemadmodũ paulò ante ostẽdi. Proindè etiã ante Sãctũ Marcellum illud ius in primitiua Ecclesia summis Pontificibus Romanis fuisse debitum nemini nõ obuiũ est. Sed eiusdẽ Marcelli gesta ex Germanis referre pergamus. Is porrò Priscillæ Matronæ Romanæ suasit, Cœmiterium proprijs sumptibus via Salaria, pro sepeliendis sanctorũ Martyrum corporibus extruere. Titulos quinq; & viginti Romæ constituit, ceu dioceses, pro cõmoditate baptismi eorum, qui ex gentibus ad

† c. Synodum episcoporum. 27. distinct.

62

fidem

fidem Christi indies veniebant: et eo etiam pacto Martyrum sepulturis consultum iri cernebat. Intereà uerò ubi Maxentius Cæsar comperit, Lucinam Matronam Romanam vniuersam eius substātiam Ecclesiæ IESV Christi reliquisse: irarum impotens, & mulierem relegauit, et sanctum Marcellum prahēsum cogere voluit, ut & episcopatu se abdicaret, & Christum Saluatorem simul negaret. Cæterùm quum animaduerteret Cæsar, suos conatus à Marcello planè contemni: Sanctum Christi Vicarium in stabulum quoddam ad custodiēdum animalia misit: Vbi vir pius orationes, et ieiunia, nihilo magis intermisit: Ecclesiámq; Dei absens episto lis gubernauit. Sed post nouem menses stabulo illo à Clericis liberatus, rursum a Maxentio in illud est coniectus. Quo sanè loco pedore & situ tandem obiit Sanctus Papa, & Christi Martyr. Qui annis quinq;, mensibus sex, Diebus vigintiuno sanctissimè ecclesiam Dei gubernauit. Vacat eius morte tum Romana sedes diebus viginti.

Eusebius P. M.
Cap. XXXI.

63 EVsebio viro Græco Pōtificium munus per hosce dies traditur. † Is primùm statuit, nè Layci Episcopum suum in ius vocare auderent. Sub hoc Pontifice sancta Crux, super qua Christus,

c. Crucis. de consecr. distinct. 3.

stus, Mundi salus, sese pro nobis Deo patri Victimam obtulit, inuẽta est Quinto nonas Maii. Ideoq; Eusebius Papa illum diem in Ecclesia solennem esse voluit. Habita autem semel Decẽbri mense sacrorum ordinum ratione, quã præsbyteros tredecim, diaconos tres, & episcopos quatuordecim creauit, Romæ Martyrio coronatur, post sextum nempè sui Pontificatus annum, mensem unum, diẽ tertium. Eius corpus in Calixti cœmiterio collocatur. Romana Sedes tunc die vno vacat.

Melchiades, P. M.
Cap. XXXII.

MElchiades natione Apher, vir sanctitate & scientia clarus, Eusebio succesſit. Constituit is, nè quis de suſptione damnaretur: sed cõdemnationem vera probatio præcedere deberet. Instituit prætereà, nè Christi fideles ieiunio vacarẽt die Dominico, & quinta feria: quo nempè boni ab hæreticis & gentilibus vel in hoc quoq; distarent. Multa circa oblationes in Ecclesia faciendas ordinauit: siquidem Manicheorum hæresis Romæ tùm validè serperet. His deniq; peractis, Martyrio, Maximini iussu, sanctus Papa obijt. Sepelitur in Calixti cœmiterio, via Appia: vbi annos quatuor, menses septem, & dies nouem in sede Petri vixisset.

c. primo semper. 2. q. 1.

c. Ieiunium Dominici. de consecratio destin. 3.

Syluester

Syluester Primus P. M.
Cap. XXXIII.

SYluestero patria Romano post Melchiadis obitum summa rerum in Ecclesia Christi defertur. Is nãq; vir fuit omni ex parte diuinus: aspectu corporis Angelicus: eloquio clarus: consilio magnus: opere sanctus: spe, fide, & charitate, oppidò plenus. Quem Deus omnipotẽs tanta est gratia dignatus, ut non modò à Christianis, sed etiam à Gentilibus miro coleretur
64 affectu. † Hîc nãq; Constantinum magnum Imperatorem aquæ Baptismi Christo lucrifecit. A quo nimirùm Imperatore pluribus est Sanctus Papa muneribus donatus. Hunc nãq; Constantinum, cognomine Magnum, concessisse Papæ Sylucstro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Romam atq; Italiã, vnà cum omnibus Italiæ prouinciis & ciuitatibus, ipse prorsus nihil dubito. Verùm quia apud hæreticos scriptores multos id controuertitur: ideoq; rem hoc loco penitius expendere, operæprecium duxi. *c.Constantinus. 96.distinct.*

Obiiciunt hæretici contra nominatam Constãtini donationẽ potissimùm duo: Aut enim donationem illam factam fuisse, cum Laurentio Valla pernegant: Aut etiam si facta fuisset,
65 nullo iure sic fieri potuisse iudicant. † Alterutrum (imò verò vtrũq;) perquàm lubentes iactitant, ac scribunt hæretici: quoniam Ecclesiã

illam IESV Christi, à qua seipsos ultrò seiunxerunt, hostili animo oderunt: opibus ipsius ecclesiæ inhiant: illã in squallore, luctu, & sanguine mœrentem, atq; inermẽ (nè ipsos hæreticos compescere posset) libentißimè viderent.

Quod autem nulla à Constantino facta fuerit ecclesiæ Romanæ donatio, indè nimirùm argumentantur: quòd ea de re nihil apud vllos extet auctores, præterquàm hodiè in libro Decretorum Gratiani: sed in antiquis Decretorũ Codicibus nulla ipsius donationis vsquàm habeatur memoria.

Aut etiam si donatio à Constantino verè facta fuisset, de ipsaq; satis constaret: nullo tamẽ iure nullàuè ratione (inquiunt hæretici) ea defendi posset. Porrò Costantinus Imperator (sicut & alii Cæsares) Romani Imperii & bonorũ eius non fuit dominus, seu proprietarius: Sed tãtùm administrationem cum iurisdictione coniunctam, & protectionem vniuerso in orbe habuit, secundum receptißimam, & communem glossæ, Bartholi, & aliorum Doctorum sententiam in proœmio Digestorum in principio, super verb. sanctionem. Idcircò distrahere tantã imperii partem Constantinus ipse minimè valuit. Et Accursius Florentinus sic pro inualiditate Constantinianæ argüit donationis. Quippe Imperator alienans Imperii Romani Ciuitates, prouincias, aut regna, facit directò contra

c. Intellecto. ubi Bal. et Doct. ex. de iureiurand.

In auct. quomo. oport. Episco. in prin. an. uer. conferens. sub finé.

communem totius Romani Imperii societatẽ, & contra officium suum, quod in consulendo Reipublicæ, non autem in lacerando eam membratim, esse debet: meritò tales eum frustrà facere alienationes, cõsequens est: uti etiam ego ad aliud propositum copiosius ista omnia aliàs tradidi in libro de Romano Imperio, ad Ferdinandum primum. *Benè facit. c. Monemus. 12. q. 2.*

Enimuerò hæc modo recensita, parum aut certè nihil veritatem lædunt. Primum obiectũ abundè olim sustulit Augustinus Steuchus Eugubinus Vaticanæ Bibliotecæ præfectus, vir sanè doctus, in libro, quem de donatione Cõstã-
66 tini aduersus Vallam scripsit. † Sed multo ante Eugubinum etiam alii perplures hanc Constantini donationem factam, planè sunt contestati. Inter illos uerò primus in ordine recensetur Ado episcopus Viennensis, Vir & antiquitate & fida rerum gestarum narratione clarus, de istiusmodi Constantini donatione sic proditum memoriæ reliquit: Idem Constantinus (Ado inquit) Vrbem nominis sui statuens in Thracia sedẽ Romani Imperii, & caput totius orientis esse voluit. Caput verò totius Imperii Romam beatis Apostolis Petro & Paulo sub testamento tradidit. Huius Adonis verba legũtur in suis commentariis sextæ ætatis (ut ille vocat) folio tiempè 196. facie secunda. Dein testãtur idem de hac pia, & memorabili Constã-

tini donatione siuè concessione, Isidorus Episcopus Hispalésis, Petrus Damiani, in disceptatione Synodali inter regium aduocatū, & Romæ Ecclesiæ defensorem, ac (ut mihi Romæ narrare solitus est eximia probitate, & singulari eruditione conspicuus Guilielmus Sirletus Cardinalis, Dominus, & præceptor meus summa reuerētia colendus) Leo nonus in Epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, Burchardus Episcopus VVormatiensis lib. secundo Decretorum, cap. 5. Anselmus Episcopus Lucensis, in authentica & cōpendiosa collectione regularum & sententiarum Sanctorū Patrum & Cōciliorum, lib. primo. cap. 94. Iuo Episcopus Carnotensis in parte quinta, sui decreti, cap 49. Ioachimus Abbas Floriacensis, & post hos Gratianus (ut paulò ante scripsi) in decretorum libro, Diuus Bernardus, Beatissimus quoq; ille doctor & omnium bonorum admiratiōe eximius Thomas Aquinas, Emanuel Calecca Græcus auctor in commentariis aduersus græcos ipsos pro defensione Catholicæ fidei æditis, Simeon Archiepiscopus Thesalonicensis in libro de Diuinis officiis, Aluarus Hispanus Canonum Doctor in libro de Planctu Ecclesiæ, Genadius Scholarius Patriarcha Constātinopolitanus in libro de Primatu Ecclesiæ Romanæ, Henricus de Gandauo in suo quolibeto, Nicolaus de Lira in Prophetas Baruch & Naū,

Naum, atq; in Apocalipsim: Quin & Dantes Alligerius, erga Sanctam Ro. sedem parum alioquin æquus, necnon Theodorus Balsamon, & Mattheus monachus, ambo Canonũ interpretes, veritate conuicti, memoratam Constantini Donationem factam fuisse, nõ obscurè sunt fasſi. Vt iam non minus ignauũ, quàm flagitiosum sit, negare Constantini illam donationem seu concesſionem Sanctæ Romanæ sedi fuisse factam.

Neq; dixeris, Constantinum iure haud quaquàm potuisse magna hæc Romani Imperii membra distrahere ab imperioq; sic alienare:
67 sicuti paulò ante annotaui.† Quippè non diffiteor, Cæsaris non esse munus, alienare Romani Imperii bona, & in alios, extra populum Romanum, a quo ipse Cæsar illud accepit, trãsferre, ab Imperioq; penitus eximere: verùm longè alia res est in casu proposito. Nàm Constantinus illud ius, quod ipse in Vrbe Roma, & adiacentibus prouinciis, ac ciuitatibus habuit, in summum Pontificem Romanum, & Apostolicam sedem transtulit. Cui sanè Romano
68 Pontifici,† (cùm sit Pontifex caput & cerebrũ populi Romani constitutus, vti Baldus docet, resq; ipsa testatur) merito potuit, ceu populo Romano, Constantinus magnam illam Imperii partem concedere. Siquidem nouum illud aut inusitatum in Romano Imperio videri non posſit: *Secundum Bal. et alios in.l. Nõ ambigitur.ff. de legib.*

poſsit: quoniam Octauianus, Auguſtus nimirùm primus, in quem Senatus populusq; Romanus, Regia lege ad hoc lata, vniuerſi Imperii curam, patrocinium, & adminiſtrationem cum Iuriſdictione tranſtulit, totum Imperium bifariam diuiſerit: cuius partem, quæ cultu difficilis erat, ac militum præſidio, propter finitimos hoſtes, maximoperè indigebat, ſibi aſciuerit: alteram verò partem, quæ pacata erat, & facilè ſine armis retinebatur, Populo Romano conceſſerit. Cuiuſmodi quidem rei ſic geſtæ author eſt Strabo, rerum memorabilium ſcriptor grauiſsimus, in libro ſuæ Geographiæ xvii. ſub finem. Idem Suetonius affirmat, licet contractius, in ipſo Octauiano Auguſto. cap. 47. Exemplum Auguſti perplures alii Ceſares videntur poſtmodum imitati, quandò conſortibus ſibi in Imperio aſcitis partem Imperii gubernandam cōceſſerunt: quemadmodum de Caro Cæſare, qui Numerianum & Carinū filios: de Diocletiano, qui Maximianum, Conſtantium, & Galerium: de ipſo Galerio, qui ſæuerū, & Maximianum, Imperii conſortes ſibi conſtituerunt: ac de aliis, qui idem fecerunt, propemodum innumeris, legitur Imperatoribus. † Quæ qui- 69
dem Conſtantini conceſsio, facta Romanæ Sedi atq; Syluestro, fauoris vndiq; pleniſsima fuit. Per illā enim conceſsionem adminiſtratio Romani Imperii ad Populum Romanum, cuius

caput

caput (ut pridem dixi) vertex, ac cerebrum est:
summus Pontifex, statũ suũ nempè primæuũ,
magna ex parte rediit: ideoq; tanto libentius *c. Ab exordio*
atq; firmius retinenda. Vt interim taceam Ec- *35. distinc. l. si*
70 clesiæ Dei fauorem: † quando per illam Con- *unus. §. pactus nè peteret. ff. de pact.*
stantini concessionem latissimum Ecclesia su-
sceperit incrementum. Quippè cultus Dei illu
strior multò & honorificentior redditus est: &
missis dein per Pontifices Romanos ad subie-
ctos populos Euangelii concionatoribus, ac iu-
sta punitione coërcitis rebellibus & hæreticis,
albo Christi nomen cuncti dederint, sicut infe
71 rius suis locis tràdemus. † Præter memorata
quoq; defendi secundum nostrates Doctores
identidem potest, Constantinum in illa Impe-
rii concessione nihil de suo dedisse, sed tantùm
quod Christi fuit, Vicario eiusdem Syluestro
& successoribus restituisse. Enimuerò Christus
Dei viuentis filius, humani generis Dominus et
Saluator, ad nos in forma hominis veniens ad se
omnia Imperia et principatus cœli, ac terræ *Matthæi. 28.*
traxit. Indè ergò à Christo in Petrum, à Petro
in successores eius Pontifices Romanos, & à
Romanis Pontificibus hodiè (respectu scilicet
exercitii) in Imperatores, Apostolicæ sedis Ro
manæ milites atq; defensores primarios, & be-
neficiarios, trãslata est ea Imperii Romani por
tio, quã sibi Apostolica Sedes non retinet. Sic
nãq; à Doctoribus legis Canonicæ & ciuilis In-
terpretibus

terpretibus communi concordiq; calculo traditur in.c. Nouit.ex. de iudi. Ab Abbate in.c. si duobus.ex. de appellatio. & in consi. suo 82. sub num. 4. lib. primo.ab Antonio Butrio post Hostiensem in.c. per Venerabilem.col. 7. vers. primo an et quam iurisdictionem, &c. ex. qui fil. sint legit. & est tex. in.c. Vnam sanctam; in extrauaganti.de maiorit. & obed. Id ipsum testatur Bart.in tract. Ad reprimendum, in ver. Totius orbis,&c. sub finem. Idem scribit in.l. vltima.C. de legib. in.l.1. propè finem.ff.de requir. reis. Franciscus Aretinus in suo cons. 58, col. secunda vers. Primò quòd quia,&c. Alex. in Cons. xi. num.x.lib.7 & in consil. 24. col. vlt. vers. Nec huic cõclusioni.lib. quinto.Bald. & Paul. Castren. in.l. Non ambigitur.ff. de legib. et in.l. vltima. C. eod. de legib. Igitur de validitate eiusdem donationis,seu potius restitutionis,dubitare, ineptissimum planè est. Ad Syluestrum atq; Germanos scriptores redeo. Pax tùm Ecclesiis reddita est.Is quippè Syluester multa cultui diuino percommoda constituit:velut illud est,ut Sanctum Chrisma ab Episcopo tantùm consecraretur: ut Baptizatum, Chrismate liniret præsbyter, ob mortis periculum: † ut Episcopi baptizatum confirmarent, 72
propter hæreticam suasionem fortius vitandã. Addidit quoq;,nè Layci clericum in ius vocarent:nè clericus causas in foro sæculari ageret:

c. Nullus. & .c. sequenti. 2.q.7.

neuè

73 neuē apud Iudicem sæcularē causam diceret.† Magnam illam Synodum Nicænam trecentorum & octodecim episcoporum sanctus Syluester indixit, subindeq; petente eadem sancta Synodo illam ore proprio & voce confirmauit. Cuiusmodi quidem confirmationis fides etiānùm extat in primo Tomo conciliorum. Ad hæc, voluit vt celebraturus Sacerdos, neq; serico, neq; pāno tincto indueretur: sed lineo equidem albo. sic nāq; in linea Syndone alba Christi corpus sepulturæ traditū fuit. Gradus quoq;
74 in Ecclesiasticis ordinibus cōstituit: †nimirùm præcipiens, ut vnusquisq; vno tantum ecclesiastico ordine esset cōtentus, sicq; vnius solùm vxoris vir. Hîc autem sanctißimus Papa quū floruerit miraculis, inter cætera quoq; id genus hoc præstitit, quòd Romanam vrbem à letali Draconis pestilentia liberauit. Nouißimè sacros ordines Decembri mense septies habuit: quibus præsbyteros duos & quadraginta, diaconos sex & triginta, episcopos quinq; & sexaginta ordinauit. Moritur tandem naturali morte: atq; sepelitur in Cœmiterio Priscillæ, via Salaria, tertio ab Vrbe milliario. Sedit sanctißimus iste Papa in Diui Petri sede Annos viginti tres, menses decem, dies vndecim. Vacua tùm fuit eadem sacrosancta Sedes dies quindecim.

c. Nullus Clericus uel diaconus c. testimonium. &. c. sequenti. 11. q. 1.

Marcus P. M.
Cap. XXXIIII.

SYlueſtro ſucceſsit Marcus ciuis Romanus, vir quippè bonus, & Chriſtianæ religionis amans.† Inſtituit,ut Epiſcopus Oſtiēſis Romà 75
nũm Potificem conſecrare deberet, & pallio vti poſſet. † Iuſsit prætereà, ut diebus ſolenni- 76
bus illicò poſt lectum in ſacrificio Miſſæ Euangelium decãtaretur magna voce à Clero & populo Symbolum, ſicut in magna Synodo Nicæna prius fuerat conſtitutum. Duo templa Romæ condidit: Vnum in via Ardeatina; Alterũ ad palatinas. Ambo Conſtantinus magnis muneribus dotauit. Poſteà verò quàm bina ordinatione Decembri menſe habita multos diacõnos, præsbyteros, & Epiſcopos creaſſet, moritur poſt annum ſecundum & menſem octauũ, die xx. ſui Pontificatus. Vacat tunc ſancta ſedes diebus viginti.

Iulius Primus P. M.
Cap. XXXV.

IVlio Roma oriundo, parentibus ruſticis prognato, Romana ſedes poſt Marcũ defertur. Hîc Pontifex mira Sanctitate, atq; eruditione fuit. Ob Arrianam, quæ tùm vehementer graſſabatur, hæreſim multis vexationibus & incommodis affectus, à Conſtante Conſtantini filio

77 in exilium est actus. † Post menses tandẽ octo ab exilio Romam reuersus, nõ destitit vir pius orientales Episcopos, cùm primis verò Arrianos, qui iniussu Romani Pontificis concilium Antiochiæ indixerant, iusta repræhensione corripere: si quidem absq; summi Pontificis Romani auctoritate concilium haberi iure nõ posset. Post hæc, duas Basilicas extruxit: vnam iuxta forum Romanum, alteram in Transtiberina regione. Tria item ædificauit cœmiteria: vnum in via Flaminea, secundum in via Aurelia, Tertium in via Portuensi. Censuit, nè quis sacerdotum alibi quàm apud Iudicem ecclesia
78 sticum, causam diceret. † Voluit item, ut qui Iudicem haberet suspectum, Romanam Sedem posset appellare. Iure ergò ad sanctam Romanam sedem, quæ omnes gentes, quæq; cuncta regna & Imperia mundi Christo in sacro Euangelio & Baptismate genuit, spectat, piis visceribus suis fouere oppressos, leuare iniuriã passos, defendere inopes & miseros. Ad hanc, Ad hãc, inquã, Romanam sedem, cui in terra & cœlo omnis ligandi & soluendi est data potestas, accurrant humi prostrati Reges, Imperatores diuites, pauperes, fœlices, infœlices, & cuiusuis ordinis vel sexus homines, qui iudicio, qui iustitia, qui deniq; luce egent: & in illa, quæ Christi IESV dilectissima Sponsa est, requiem, tutelã, & suaue solamen inuenient[t]. Vt de illa videa-

c. Ideò huic. 2. q. 6.

tur nõ omninò ineptè Claudianus Poëta(aliud tamen ipse agens)cecinisse,sic carmine scribẽs:

Hæc est in gremium uictos, quæ sola recepit,
Humanumq́ genus, communi nomine fouit
Matris,non Dominæ ritu: ciuesq́ uocauit,
Quos domuit,nexuq́ pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quòd ueluti patriis regionibus utitur hospes,
Quòd sedem mutare licet,quòd cernere Thulen,
Rursus & horrendos quondam penetrare recessus:
Quòd bibimus paßim Rhodanũ, potamus Orótẽ:
Quòd cũcti gens una sumus, nec terminus unquã
Romanæ ditionis erit. *Et reliqua.* Ad Germanos recurro. Cuncta quoq; ad ecclesiam pertinentia,Iulius statuit, per notarios, † quos hodiè Prothonotarios vocamus, ordine conscribi. Vbi verò mense Decembri ter sacris ordinibus operã dedisset, quibus Præsbyteros octodecim,Diaconos tres,& Episcopos nouẽ creasset: moritur,& in cœmiterio Calepodii tertio ab Vrbe miliario,via Aurelia sepelitur.Sedit annos quindecim,menses duos,dies sex. 79

Liberius P. M. Item Fœlix.
Cap. XXXVI.

LIberius patria Romanus Iulio defuncto subrogatur. Huius tempore,cõciliabulo apud Mediolanum habito,omnes,qui Athanasio fauebant, in exilium, Constantii Imperatoris patrocinio,

trocinio, missi sunt. Prætereà verò cùm in Synodo Ariminensi orientales Sacerdotes, qui cũ Arrio sentiebant, homines nempè callidi, occidentales imperitos & simplices argutis fallaciis conuincerent (negantes nimirùm Christum cum Patre homousion esse) & Liberius Pontifex illud palàm cum Athanasio detestaretur, Athanasiumq; ea in re (licet contra Cæsaris Cõstancii postulata) minimè gentium damnare vellet: in exilium ab Arrianis ipse Liberius fuit pulsus. Liberio proindè Vrbe exacto, Arriani (ut inquit Diuus Hieronymus) Fœlicẽ præsbyterum, Pontificem crearunt: vel ut alii scribũt, Sacerdotes catholici, cõgregata Synodo, in Liberii locum Fœlicem præsbyterum, virũ optimum, subrogarunt. Qui, quòd Arrianis non faueret, sed illos grauius oppugnaret, protinus conuocata Synodo 48. Episcoporum, duos præsbyteros Arrianæ sectæ, Vrsacium & Valentẽ, ab Ecclesia separauit: prætereà, & Constantiũ Imperatorẽ ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Arriano in Aquilone Villa, haud procul à Nicomedia, iterum Baptizatum, hæreticũ denuntiauit. Verùm ab aduersariis hæreticis captus, & vnà cum multis aliis benè sentientibus interfectus est, post annũ sui regiminis primũ, mensem quartum, & biduum. Priusquàm tamen interficeretur Fœlix, Arrianorum rogatu, Constancius Cæsar Liberium Põtificem in Fœ

licis

licis inuidiam ab exilio reuocauit. Liberius iste à Constantio Imperatore Arriano Romam ab exilio, efflagitantibus, in fœlicis odium, Arrianis, reuocatus, habitus est (licet falsò) Arrianorum, sui ad sedem reditus auctorum, deinceps fautor. Veruntamen Ecclesias Dei catholicas, & verum cultum sedulò curauit: cumq; accepisset, multas ecclesias ab episcopis & pastoribus suis, ob grauem tunc in ipsos persequutionem, fuisse desertas, & plures adhuc esse deserẽdas: hortatus fuit illos admodùm piè, nè suas derelinquerent ecclesias, sed usq; in finem patienter in illis perseuerarent. Vt à verò longissimè absit, ipsum Liberium, uti Krantius quoq; & alii Germani scriptores disserte testantur, in Arrianam hæresim fuisse prolapsum. Ideoq; Sanctus Ambrosius lib. i i i. de Virginibus, ipsum Liberium cum sanctitatis præfatione nominat: Epiphanius contra Aerium hæreticum scribẽs eandem sanctitatis laudem Liberio tribuit: & Basilius magnus eum beatissimum appellat.

c. Suggestum. 7. q. 2.

Dein Liberius cum multos sacris ordinibus bis Decembri mense addixisset, inter quos & Diuus Hieronymus fuisse traditur, Romæ obiit, ubi annis sexdecim, mensibus tribus, & diebus quatuor Apostolicæ sedi præfuisset. Vacua tunc fuit sedes dies sex.

Damasus

Damasus P. M.
Cap. XXXVII.

Liberio subrogatur in magna controuersia Damasus, genere hispanus: vir quippè bonus, & Pontifex optimus. Cuius electioni cùm resisteret Vrsicinius Diaconus, multi vtrinq; cecidere: Siquidē res non tàm suffragiis, quàm armis, agebatur. Ceterùm haud multò post reiecto Vrsicinio, Damasus Dei nutu, clericorū & Populi Romani consensu, Apostolicæ sedi (ut dixi) præficitur. Qui cùm adulterii falsò accusaretur, publico conuocato concilio, Innocens declaratur, & Concordius atq; Calixtus Diaconi, falsi delatores, sunt damnati, ab ecclesiaq; pulsi. Cauit proindè bonus Pontifex Damasus, nē quis deinceps in iudicio ante factam examinationem damnaretur. Statuit de fratrū suorum cōsilio, ut qui posthac aliquem per calumniam accusasset, is talionis pœnam subiret. Præcepit sub anathematis pœna, ne quis Apostolicæ sedi Romanæ peculiariter cōcessa vsurpare sibi sua auctoritate auderet. Vacua tandē cruentis fluctibus & molestiis ecclesia Dei reddita, ocyo literario sese plurimum oblectauit Damasus: & Vitas summorum Pōtificum, qui ante ipsum omnes fuere, ordine perscripsit: quas & ad Diuum Hieronymum quoq; misit. Sanctus iste Pontifex cōfessionem in altaris ad

c. Eorum qui. 11.q.3.

c. Calumniator. 2.q.3.

c. Huic soli sedi. 17.distinct.

Missam ingressu (quemadmodum alii tradunt historici) à Sacerdote dicēdam quoq; instituit: & Symbolum maius in celebratione Missæ decantari voluit. Duas Basilicas extruxit: vnā prope theatrum, alteram in via Ardeatina ad Cathecumbas. Carminibus quoq; doctis sanctorū corpora inibi sepulta posteritati opportunè cō mendauit. Ad hæc, Basilicam in honorem Diui Laurentii ab se conditam magnis muneribus
donauit. † Vt psalmi quoq; alternatim in tem- 80
plis cantarentur, & in fine cuiusq; psalmi adderetur, Gloria patri & filio & Spiritui sancto,
&c. ipse instituit. † Primus auctoritatem Diui 81
Hieronymi scriptis dedit: quandoquidem præterito tempore scripta septuaginta interpretū in precio duntaxat haberentur. Nouissimè, quum multos præsbyteros, & duos ac sexaginta episcopos creasset, diem functus est. Sepelitur in via Ardeatina cū Matre & Sorore in Basilica ab se extructa. Præfuit cū laude IESV Christi Vicarius sanctæ Ecclesiæ annos nouemdecim, menses tres, dies vndecim. Vacat eo tēpore Petri sedes vnum & viginti dies.

Siricius P. M.
Cap. XXXVIII.

SIricius patria Romanus post Damasum Pōtifex Maximus creatur. Is cēsuit, Monachos, quorum vita esset probata, posse sacris initari, à

c. Quicūq; itaquè.77. distinc.

primis

82 primis ordinibus vsq; ad Episcopatum. † No-
luit etiã Siricius, clericis cohabitare fœminas, *c. Fœminas.81. distinct.*
83 quæ suspitiõe aliqua laborare possent. † Voluit
item sacros ordines per interualla temporum
conferri. Manicheis, qui Romæ tùm inuẽti fue
runt, Vrbe interdixit, prohibuitq; cum fideli-
bus communicare. Pœnitẽtes autem & ad gre-
mium orthodoxæ fidei reuertentes, duxit esse
recipiendos: si modò ingrederentur Monaste
rium, ibiq; ieiuniis & orationibus per omne tẽ
84 pus eorum uitæ pœnitentiam agerent. † Qui-
bus in articulo mortis tantum positis (si de ip-
sorum verà conuersiõne constitisset, nõ aliàs)
sacratissimam porrigi Eucharistiam permisit:
Consecrari præsbyterum à solo Episcopo ius-
sit. Quicũq; Viduam, aut secundam duxisset
Vxorem, de omni ecclesiastico officio eum pel
li mandauit. Quamobrem rebus in Ecclesia be
nè dispositis, sex item & viginti viris ad præsby
teratum promotis, ad diaconatum verò sede-
cim, & ad episcopatum duobus & triginta, mo
ritur pius pastor: posteàquàm sedisset Annos
quindecim, menses vndecim, dies quinq; & vi
ginti. Pastore tùm caret ecclesia dies viginti.

Anastasius Primus P. M.
Cap. XXXIX.

ANastasium virum planè optimũ præficiunt
Romani, conciuem suum, Apostolicæ Sedi

post defunctum Siricium. † Constituit hic sanctus Pontifex, nè Sacerdotes, neuè cæteri cuiusuis ordinis homines vllo modo sederent in templo, vbi sacrum Euāgelium cantaretur, aut legeretur: sed curui, ac venerabundi attentè ad starent. † Legitur in Polonorum Annalibus, primis illis temporibus, quibus ad Christi fidem Poloni fuerè conuersi, in templis dum legebatur Euangelium, non modò assurrexisse Polonos, sed etiam viros, qui gladiis accincti erant, ipsos gladios protinus strinxisse: significatur qs nimirum, se Euangelii defensionem (ubi res postulasset) ui atq; armis strenuè subituros. Ad Anastasium redeo. Cauit prætereà Anastasius, nè peregrini, cūmprimis verò transmarini, reciperentur ad ministerium cleri, nisi testimonium quinq; Episcoporū in scriptis haberent. † Hoc autem factum ab Anastasio fuisse fertur, propter Manicheos hæreticos, qui tunc temporis magna cum auctoritate grassabantur in Africa, suum venenum latisimè effundentes, & ex suis aliquos sæpius clàm submittentes ad nos, quò religionem catholicam fraude corrumperent. † Sic solent hæretici nostri temporis Manicheos imitari. Mitunt enim homines callidos & impostores ad varia catholicorum loca: quò pios & sanctæ Romanæ ecclesiæ filios decipiāt, fraudent, indè seducant, euellantq;. Id quod ipse annis superioribus ad Danubium apud Germanos

85 86 87 88

c. Apostolica auctoritate. de consecra. distinct. 1.

manos

manos dum ius ciuile profiterer haud semel expertus fui. Cæterùm Dei misericordia adiutus illos Diaboli opifices, cum suis auctoribus, constanti in ecclesiam Christi animo, nunquàm nō spreui. Sed cœpta ex Germanis referre pergo.
89 † Iussit identidē Pontifex iste, nè aliquo membro corporis debilitati, aut māci, seu aliqua corporis parte carētes, albo clericorū nomē darēt. Nouissimè quum ordinationes plures præsbyterorum, diaconorum, & episcoporum, mense Decembri fecisset, moritur post annum sui regiminis tertium, die decimo.

Innocentius Primus P. M.
Cap. XL.

ANastasio sufficitur Innocentius primus, genere albanus, vir quippè sanctitate clarus: qui multa ad veram Christi religionem pertinentia, Theodosii Imperatoris beneuolentia
90 vsus, egregiè confecit. † Inter cætera voluit, ut non solum sexta feria, ob Domini passionem, sed & Sabatho (quòd eo die Christus in sepulchro iacuisset, & eius discipuli ieiunassent) ieiunium passim omnes seruarēt. De Iudæis quoq; & paganis, deq; monachis, regulas seu leges ali *c. Sabatho. de cō secra. distinc. 3.*
91 quas tulit. † Noluit etiam hic sanctus Pontifex quemquàm vel in simplicem clericum recipi, qui pœnitentiam de aliquo crimine palàm egisset. Templum semel consecratum noluit iterū *c. Canones. 50. distinct.* *c. ecclesiis semel 68. distinct.*

consecrati. Cataphrigas hæreticos, quorum au ctores fuere Montanus, Prisca, & Maximilla, ab Vrbe pepulit. Ad hæc, Pelagium & Celestinum Monachos, hæreseos damnauit. Præferebant enim liberum hominis arbitrium Diuinæ gratiæ. Existimabant etiã voluntate nostra posse diuinis præceptis satisfieri. Basilicam sanctorũ Geruasii, & Prothasii dedicauit. † Iussit idẽ- 92
tidem, ut singulis solennibus festis in ecclesiã post consecrationem in Missa factam, & antequàm sacra sumeretur Eucharistia, pax Christi fidelibus exhiberetur. Demum ubi sacros ordines sæpius contulisset, quibus præsbyteros, diaconos, & episcopos, permultos creasset, obiit sanctus Papa. Qui annos quindecim, menses duos, & dies quinq;, ecclesiã Dei rectè administrauit. Pastore tùm caret Petri sedes dieb. xxii.

c. Pacem. de consecra. distinc. 2.

Zosimus P. M.
Cap. XLI.

AD Zosimum natione Græcum cura Ecclesiæ, post Innocentium, est delata. Sãctus iste ac optimus Pontifex fuit: qui vel in multa rerum perturbatione rem diuinam intermisit nũquàm. Constituit, ut Diaconi, dùm summum sacrum haberetur, leuas haberent linostomis tectas: Item ut cereis Sabbatho Sancto benedici posset. † Vetuit clericis in publico bibere, aut 93
potum publicè vendere. † Noluit seruos ad cle 94

ricorum

ricorum ordinem promoueri: quod eiuscemo di viros, ingenuos & corpore integros esse oporteret. Misit ad Carthaginense Concilium suos legatos, Faustinum Episcopum, & duos vrbis Romæ præsbyteros: quo testatum faceret, nihil vsquàm publicè agi debere sine consensu ecclesiæ Romanæ. Quare sanctus Zosimus de ecclesia Dei benemeritus, moritur, vbi præsbyteros, diaconos, et episcopos, multos ordinasset. Sedit autem annum vnum cum tribus mensibus, diebus duodecim. Vacat tunc sedes diebus vndecim.

Bonifacius Primus P. M.
Cap. XLII.

BOnifacium primum Romanus clerus Ecclesiæ præficiunt. Cæterùm alii diuersarum partium studiosi elegerunt Eulalium: quem Bonifacio obiiciebant. Quod vbi Honorius Imperator accepisset, ambos Pontifices ab Vrbe expulit. Sed re demùm penitius cognita, Bonifacius post septimum mensem reuocatur. Qui, Ecclesiæ Christi cura suscepta, Sotheri Papæ prædecessoris decretum protinus cõfirmauit, prohibens denuò Mulieribus aut Virginibus Deo sacratis, attrectare pallam, seu thura cõtingere, vel adolere: & nè quisquàm ante annos suæ ætatis triginta ad sacros ordines promoueretur constituens. † noluit item seruos, vel alte- *c. Sacratas. 23. distinct.* *c. Si quis trigin ta. 78. distinct.*
95

ri

c. Decernimus. 3. q. 9. ri obnoxios in clericos recipi. Vetuit, abſentes vlla ratione in iudicio vel accuſari vel damnari. Oratoria extruxit: ornamēta altaris parauit: per multos præsbyteros, diaconos, & epiſcopos ordinauit. Dein poſt annos tres, menſes octo, dies ſeptē ſui Pontificatus obdormiuit in domino.

Celeſtinus P. M.
Cap. XLIII.

CEleſtinus Campania Vrbis oriũdus, diuino cultui magnoperè incumbens, conſtituit, ut Pſalmi Dauidis ante ſacrificium Miſſæ Antiphonatim cantarentur in templo: Item ut in Miſſæ initio ſacerdos diceret illum Pſalmum, Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam. &c. Quæ anteà fieri non conſueuerant. Quamobrē ex hoc inſtituto ſunt poſteà decerpti introitus, Gradualia, necnon & offertoria. Multa quoq; ad hæc ordinauit, quæ in Archiuis tum viſebãtur. Præcepit omnibus clericis, ſciētiam eccleſiaſticorum canonum & ſedulam lectionem. Cæterùm vbi ter Decembri menſe ſacrorum ordinum rationem habuiſſet, quibus præsbyteros, diaconos, & epiſcopos, permultos creaſſet, ſanctè obiit. Præfuit magna cum laude Chriſti Eccleſiæ annos octo, menſes decem cum ſeptemdecim diebus.

c. Canones. 15. diſtinct. † Huius etiam optimi Pontificis iuſſu congregata eſt Epheſi inſignis illa tertia vniuerſalis 96

Synodus

Synodus ducentorum Episcoporum: qua Nestorius hæreticus cum Pelagianis omnibus est fortiter damnatus. Ad hanc verò Synodū, quæ prior Ephesi congregata fuit, legatos misit beatissimus Celestinus, Philippum, Archadium, & Proiectū, viros doctrina, & pietate insignes: è quibus Philippus in Nestorium hæreticum sen
97 tentiam eiusmodi tulit: † Nemini dubium est, imò omnibus sæculis manifestum, quòd Beatissimus Petrus princeps & caput Apostolorum, columna fidei, & fundamentum catholicæ Ecclesiæ, à Domino nostro IESV Christo Saluatore & humani generis Redemptore, claues regni cœlorum accepit, eiq; data est potestas ligādi & soluendi peccata: quippè qui etiam nunc ac semper in suis successoribus & viuit, & iudicat. Huius itaq; per ordinem successor sanctissimus & beatissimus Celestinus Papa noster ad hāc sanctam Synodum præsentiæ suæ Vicarios Nos misit: ad quam conuenerunt vel per se, uel per legatos præsentes, occidentales, & orietales Episcopi. Sequens igitur sancta Synodus patrū exempla definiēs contra blasphemum & procacem Nestorium sententiam profert: ut qui correctionem renuerit, cum illo partem habeat, de quo scriptum est, episcopatum eius accipiat alter. Cognoscat igitur Nestorius, à Sacerdotii et catholicæ Ecclesiæ cōmuniōe se alienū. Huic sententiæ subscripserunt reliqui duo legati Ar-

chadius & Proiectus. Ista omnia ex actis memorati concilii Ephesini, quæ in Bibliotheca Vaticana seruātur, mihi fidelissimè tradidit Romæ Dominus & præceptor meus, Cardinalis Sirletus, summa semper reuerentia colendus.

Sixtus Tertius P. M.
Cap. XLIIII.

c. Mandastis. 2. q. 5. Sixtus tertius ciuis Romanus Celestino defūcto in Pōtificatu successit. Qui à Basso quodam præsbytero adulterii accusatus, apud Synodum septem & quinquaginta Episcoporū, sua auctoritate per Valentinianum Augustum congregatam, egregiè se purgauit: & calumniator Bassus in exilium meritò est actus. *c. Clericos. 71. distinct.* Pōtifex iste præcepit, nullum clericum in alterius parochia ordinari omninò posse. Aedificauit Basilicam Beatæ Mariæ Virginis: quæ hodie sancta Maria Maior est nuncupata. Huic Ecclesiæ Sixtus bona multa est elargitus. Postremò vir pius quū multa, quæ possedit, pauperibus Christi erogasset, Præsbyterosq;, Diaconos, & Episcopos, ordinasset: moritur anno sui Pōtificatus octauo, die XIX. Sepelitur in Cripta viæ Tyburtinæ apud Diui Laurentii corpus.

Vacat tum sedes dies
viginti duos.



Leo

Leo Primus P. M.
Cap. XLV.

SIxto mortuo Leonem primum, genere Hetruscum, in sede Petri substituunt Romanus Clerus. Hîc, ob singularem eius eruditionem, & dignitatem, Magnus cognomēto est dictus. Eloquentia enim nemini suo tempore fuit secundus. Ideoq; in Chalcedonensi cōcilio summa omnium patrum consensione simulq; & admiratione ter (licet absens) sanctus
98 fuit acclamatus. † Magno consilio summaq; auctoritate Concilium istud Chalcedonense Sā ctissimus hîc Leo aduersus hæreticos conuocauit, atq; confecit. Eius verò Concilii inter multas & præclarissimas Actiões tertiæ actionis verba (ad compescēdam hæreticorum nostri temporis proteruiam) huc de multis transcribere volui. Porrò in primo Conciliorum Tomo, Actione (ut dixi) tertia Calcedonensis concilii, fol. 847. prima, & secunda colum
99 na, verba istiusmodi leguntur: † Paschasinus Episcopus Lilybætanus prouinciæ Siciliæ, & cum ipso Lucentius Episcopus Esculanus, & Bonifacius præsbyter magnæ Romanæ ecclesiæ, tenentes locum sanctissimi, & beatissimi Archiepiscopi Apostolicæ sedis magnæ & senioris Romæ Leonis, pronuntiauerunt: Manifesta facta sunt, quæ à Dioscoro quondam

Alexandriæ magnæ ciuitatis Episcopo commiſſa ſunt aduerſus ſanctarum regularum ordinem, & eccleſiaſticam diſciplinam, & reliqua. Ac inibi paulò poſt rurſus ſic traditur: Vndè ſanctiſsimus, & beatiſsimus Archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ Leo, per nos & per præſentem ſanctam Synodum, vnà cũ ter beatiſsimo, & omni laude digno Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido catholicæ Eccleſiæ, & illo, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum (Dioſcorum ſcilicet) tàm epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio, & reliqua. † 100
Hinc ergò quoq;, perfide nequàm hæretice, qui poteſtatem Pontificis Romani, inficiari mendax non erubeſcis, quanta ſemper illius vniuerſo in orbe apud ſanctiſsimos & antiquiſsimos patres fuerit ſumma maximaq; auctoritas cum dignitate coniuncta, ut ſacroſancta illa Chalcedonẽſis Synodus ab iſtius Leonis Papæ nutu tota pepẽderit, protinus agnoſce. Sed Germanorum proſequamur hiſtoriam. Plurima dein ſanctus iſte Leo, quæ ad Catholicæ fidei confirmationem facere viſa ſunt, opportunè cõſtituit: & inter cætera illud etiam, ut neceſsitate vrgente, poſſet quis omni tẽpore ſacri fontis aqua baptizari. † Itẽ 101
nè plures, quàm vnus, ſiuè maſculus ſiuè fœmina, accederẽt ad ſuſcipiendum quem de ſacro

c. Si qui neceſsitate. de cõſecra. diſtinct. 4.
c. Nõ plures. de cõſecra. diſtinc. 4.

cro

cro fonte:& in confirmatione idem planè ser
uādum. Direptam immaniter à Vandalis Vr-
102 bem vidit:† & sæuum Hunnorum Regem At
tilam vultus sui maiestate, auctoritate, atq; ser
mone, acriter compescuit. Quarè quum esset
doctissimus, Decretales epistolas permultas,
Omelias, & sermōes quàmplures, scripsit. Ad
instaurationē templorū Vrbis cōuersus, Basili
cā in honorē Beati Cornelii via Appia extru-
xit. Diruta tēpla restituit. Monasteriū propè
Vaticanū condidit. Deniq; vno & octuaginta
præbyteris, diaconibus xxx. & episcopis sex &
octuaginta creatis, diem obiit: posteaquàm
ecclesiæ Dei inseruisset annos vnum & vigin
ti, mensem vnū, & diem xiii. Sepelitur apud
sanctum Petrum in Vaticano.

Hilarius P. M.
Cap. XLVI.

Hilarius genere Sardus summum Pontifica
tum iniit post Leonem primum. Is in mul
ta rerum perturbatione constitutus rem diui
103 nam intermisit nunquàm. † Statuit nè Sacer-
dotes successorē sibi deinceps eligerēt. Quæ
cōstitutio ad omnes ecclesiasticos gradus per
tinet. Inoleuerat tum sanè abusus, ut Sacerdo *c. Pleriq; 8. q. 1.*
tes in mortis articulo constituti, successorem
sibi in ecclesia eligerent, quod proprio decre
104 to Hilarius tempestiuè prohibuit. † Cauit & *c. pænitētes. 55. distinct.*

aliud optimus Pōtifex, nè literarum imperiti ad ſacros ordines aſſumerentur. Epiſtolas nō nullas de fide catholica ſcripſit: quibus etiam tres Synodos, Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem cōfirmauit. Tria oratoria in Vrbe ad lunam extruxit. Vbi autem ea peregiſſet, quæ optimi Pontificis ſunt munia, cùm in ædificādis ornandiſq; templis, tùm in monēdis docendiſq; ſubditis, eleemoſiniſuè dādis: pluribus ad ſacros ordines promotis: diē clauſit extremum. Sedit quippè in Diui Petri ſede annos ſeptem, menſes tres, dies decem.

Simplicius P. M.
Cap. XLVII.

AD Smplicium ciuē Tiburtinum res Chriſti ſumma per hæc tempora peruenit. Vir iſte fuit ſanctiſsimus, rectiſsimus, ac iuſtiſsimus. Vetuit, quemquàm inuitum promo-

c. Vbi iſta. 74. diſtinct. 16. q. 7. per totá

ueri in epiſcopum: † Item clericorum aliquē 105
de Layca manu accipere ſeu agnoſcere poſſeſſionem eccleſiaſtici beneficii: id quod poſteà à Gregorio, & aliis Pontificibus eſt confirmatum. Igitur cauendum eſt laycis, nè res eccleſiaſticas contingant, neue eccleſiaſticæ perſonæ de manu layca beneficium accipiant eccleſiaſticū. † Hodiè verò apud impudentes 106
Neochriſtianos nō modò layca manu impudēter bona, res, & beneficia eccleſiaſtica cōfe

runtur indignis & sacrilegis hominibus: Sed etiã quid concionari, quid item in nouis eorũ sinagogis ad vnguem facere debeant illarũ ministri, ciuilis magistratus ipsis planè præscri bit. Ad Simpliciũ redeo. Voluit quoq; beatissimus iste Pōtifex, ut de redditibus ecclesiæ & fideliũ oblationibus quatuor fierēt partes: ex quibus primã caperet Episcopus, secundã & tertiam Ecclesiæ præsbyter in ecclesiasticis fa bricis, & pauperũ eleemosinis erogaret: ultimã inter illius Ecclesiæ clericos pro psonarũ meritis præcepit diuidendã. c.De redditibus. 12.q.2.
107 | Romanã præte reã sedem esse omnium Christi ecclesiarum Primariam, & caput declarauit. Quamuis mi nimè omnium fuerat alioquin opus ista Pon tificis declaratione: quæ ex summorum Pontificum Christi Vicariorum serie, à Diuo Petro in omne æuum iugiter dein obseruata, plusquàm notissima erat. Verùm Constantinus quidam Episcopus, quem sanctus Simplicius, eius rei gratia, damnauit, causam dedit edicto, sicuti in Cōciliorum libris est videre. Ad hæc, Vrbem in quinq; regiones præsbyteris diuisit:
108 † Primariasq; Romæ Ecclesias, seu templa esse voluit: primam Petri: secundam Pauli, tertiam Laurentii, quartam Ioannis Laterani, quintam Sanctæ Mariæ Maioris. Probus Pontifex sancti Stephani prothomartiris Basilicam in Cœlio Monte ædificauit: necnō

&

& Basilicã sancti Andreæ Apostoli haud procul à templo sanctæ Mariæ Maioris, aliasq; itẽ plurimas. Cùm verò Ecclesiam Romanã non institutis solùm, sed etiã donis auxisset, creasset q; præsbyteros, diaconos, & episcopos permultos, obdormiuit Christo: tumulatusq; fuit in Diui Petri æde, posteaquàm sedisset annos quindecim, mensem vnum, dies septẽ.

Fœlix Tertius P. M.
Cap. XLVIII.

FOelix tertius patria Romanus ad summũ Apostolatus apicem post Simplicium vocatur. Is Petrum Eutichianum ob hæresim anteà in exilium actum, & ab Achatio Episcopo Constantinopolitano posteà restitutum, auctoritate Apostolicæ sedis, Concilio conuocato, vnà cum ipso Achatio damnauit. In eo ipso concilio voluit, ut accusatus Episcopus apud Judicem inducias pro responsione habẽret. Mandauit, Ecclesias ab Episcopis consecrari. Fœlix iste cum accepisset, in Aphrica rebaptizari episcopos, præsbyteros, atq; diaconos, coacto protinus catholicorum Episcoporum, & præsbyterorum, concilio, eos condigna punitione adfecit. Curauit quoq; Fœlix, celebrari cõcilium Tarraconense: quo (inter cætera) emendi vilius, aut vendendi carius studium fuit clericorum ordini interdictum. Basilicã

c. De induciis. 3. q. 3.
c. Sicut non alij. de consecrat. distin. 1.
c. Eos quos. de consecratio. distinct. 4.
c. Canonum statutis. 14. q. 4.

sancti

sancti Agapiti haud procul à tẽplo sancti Laurentii martyris ædificauit. Ad ordines sacros quũ præsbyteros, diaconos, & episcopos multos bis mense Decembri assumpsisset: obiit in Domino. Sepultus in Basilica Pauli. Annos octo, menses vndecim, dies septemdecim, uel ut alii scribunt, annos penè duodecim, Ecclesiæ Dei sanctus iste cum laude præfuit. Vacat eo tempore sedes dies quinq;.

Gelasius P. M.
Cap. XLIX.

GElasio Aphrica oriundo, & viro sanctissimo, Ecclesiæ Dei regimen post Fœlicẽ Romæ traditur. Qui ubi Manicheos in vrbe deprehẽdisset, exilio protinus damnauit: eorũq; libros apud Basilicam Diuæ Virginis Mariæ comburi publicè fecit. Constituit dein, ut bigamorũ nemo ad sacros ordines proueheretur, nisi ex speciali Apostolicæ sedis Romanæ
109 permissu. † Cauit quoq; nè quispiam carens membro aliquo sui corporis, præsbyter ordinaretur. Ad hæc voluit, ut (scilicet post Apostolicam sedem Romanam) Metropolitani à suis Episcopis, & vicissim Episcopi à suo Metropolitano, ordinarentur. Censuit ordinationes clericorum, quater in anno certis statis anni diebus haberi. † Præcepit item sacerdoti-
110 bus, nè unquàm sacratissimum corpus Christi

c. Præcepta canonica. c. Si euangelica. 55. distin.

c. Quia per ambitiones. 64. distinct.

c. ordinationes præsbyterorũ. 75. distinct.

c. Comperimus. de consecra. distinct. 2.

ſti abſq; calice, ſeu ſanguine ſumerent. Hymnos multos diuum Ambroſiũ immitatus cõpoſuit. Libros quinq; (quũ doctiſsimus eſſet) aduerſus Euthicen, & Neſtorium ædidit: & duos contra Arrium. Baſilicas quoq; plurimas Deo in Vrbe dedicauit. Oſtendit is, quinam libri inrer apocriphos eſſent in eccleſia connumerandi. Scripſit ſanctus Gelaſius Epiſtolam ad Siciliæ Epiſcopos: qua pulchrè declarat, Epiſcoporum eſſe munus, eccleſiæ facultates adminiſtrare, atq; illas certa quadam ratione piè diſtribuere. Nouiſsimè, multis in ſuo regimine præsbyteris, diaconis, & epiſcopis creatis, moritur: atq; in templo Diui Petri Apoſtoli tumulatur. Præfuit ſanctæ ſedi annos quatuor, menſes octo, dies ſeptemdecim.

c. Sãcta Romana Eccleſia. 15. di diſtinct.

c. Præſulum. 16. q. 3.

Anaſtaſius Secundus P. M. Cap. L.

ANaſtaſius ſecundus Pontifex Maximus ciuis Romanus fuit: &, ut quidam tradunt, Anaſtaſium Imperatorem, ob id quòd Achatio Neſtoriano faueret, excõmunicauit. Enimuerò & ipſe Anaſtaſius Pontifex poſtmodùm videtur eidem Achatio (ut quidam ſcribunt) nonnihil fauiſſe, cupiens nimirùm illũ Achatium ab exilio clàm reuocare. Quamobrem Clerum vniuerſum ab ſe alieniore animo reddidit: ut neq; eidem Pontifici commu

nicare

nicare vellet. Intereà verò Anastasius diuino (ut fertur) nutu repentè morbo correptus interiit, posteaquàm vixisset in Pontificatu annũ vnum cum mẽsibus decem, diebus xxiiii. Ordinationesq; de præsbyteris, diaconis, & episcopis pluribus fecisset.

Simmachus P. M.
Cap. LI.

SImmachus Sardinia Insula Italiæ oriundus, in magna Cleri populiq; Romani controuersia ad summum euehitur Pontificatũ. Diuisi enim cleri ac Populi pars Simmacũ apud Lateranum, pars verò altera Laurentium quẽdam in Basilica Beatæ Mariæ Anastasio defuncto subrogarunt. Verùm, coacto posteà Rauennæ Concilio, præsente Theoderico Gothorum Rege, qui tùm Italiæ rebus præerat, omnium consensu solus Simmachus Põ
111 tifex summus declaratur. † Concilium istud auctoritate ipsius Simmachi fuit indictũ. Vbi etiam repræhensus est Rex Theodericus, qui se nonnihil immiscere conuocationi illius Cõcilii videbatur: licet admonitus Theodericus, protinus rescipuerit, magnaq; cùm reuerentia totam illam curam summo Pontifici & sanctæ Sinodo reliquerit. *c. Concilia. 17. distinct.*
112 † Sanctus & optimus hîc Papa statuit in illos, qui, summo Pontifice adhuc viuente, au- *c. Si quis Papa. 79. distinct.*

derent de alio post illius obitum eligendo fa
cere quoquomodo mentionem, priuationis
loci & honoris pœnam.

c. Poßeßiones. 16.q.1. *c. In canonibus. 16.q.1.*

Bona Ecclesiæ alienari nequaquam permi
sit, nisi magna & pia causa exigente. Et qui
res vel bona ecclesiæ attigisset, vel erogasset
absq; episcopi licentia, eum excommunicatũ
ab ecclesiaq; separatum, sanctus hîc Simma-
chus planè iudicauit.† Quomodò igitur præ 113
clarè actum iri cum Raptoribus rerũ eccle-
siasticarum hæreticis, vel catholicis, in Germa
nia & alibi locorum putemus, hinc satis de-
præhendi licet.

Is demùm Pontifex tanta moderatione,
atq; clementia est usus, vt Laurentium illum
competitorem suum Nicerinis Episcopũ de
derit. Manicheos vrbe eiecit. Eorum libros
igni publicè consumpsit. Basilicas multas vel
ornauit, vel à fundamentis extruxit. Pauperũ
curam gessit: quibus & propè Basilicas Petri
& Pauli Apostolorum habitacula ædificauit:
prospexitq;, nè quid eis in victu quotidiano
deficeret. Redemit magno ære variis in locis
captiuos. Statuit vt sancto die Dominico, nec
non & in sanctorum Martyrum natalibus ca-
neretur in sacrificio Missæ hymnus ille: Glo-
ria in excelsis Deo, &c. Nihil postremò omi-
sit, quod ad Dei omnipotentis gloriam perti-
nere putauerit. Habitis itaq; plurimorum præ

sbyterorum

sbyterorum, diaconorum, ac episcoporum sacris ordinibus, quũ in domo Dei annos quindecim, menses sex, & dies xxii. fœliciter & beatè versatus fuisset, diem obiit.

Hormisda P. M.
Cap. LII.

HOrmisdæ patria Campano summa rei in Christi Ecclesia Romæ per id tempus cõmittitur. Qui, hortante Theodorico Rege, prouincialem Synodum in Vrbe habuit: omniumq; patrum consensu Eutichianos anteà reprobatos iterùm cõdemnauit. Plura quoq;
114 alia in illa Synodo fuerè sancita: † nempè ut qui solenniter, hoc est, publicè iniũctam pro crimine patrato pœnitentiam egisset, is ad sacros deindè ordines non promoueretur: aut *c. Si ille. 50. distinct. & c. non negamus. 61. distinct.*
115 promotus indè eiiceretur. † Censuit item nuptias siuè Matrimonia Christianorũ nõ clàm, sed palàm in facie ecclesiæ fieri posthac debere. Ad huius Pontificis Decreti normam matrimoniorum contractus nostro tempore in Tridẽtina Synodo sunt reuocati, ut anteà tradidimus. Prohibuit sacerdotibus, & quibusq; aliis altaria in consecratis ecclesiis, sine speciali Episcopi licentia erigere. Græcos sibi conciliauit: clerũq; composuit. Clodoueus Francorum Rex preciosa dona ei obtulit. Euangeliorum librum cum tabulis aureis, gemmis per- *c. Nullus. 30. q. 5.*

multis, ornatum à Iustino Imperatore, voti ergò, accepit. Ornauit tunc templum Beati Petri argentea trabe librarum mille & quadraginta Theodoricus Rex. Certauit etiam munificentissimus erga Christi ecclesiam Hormisda donis cum illius tempestatis principibus. Locauit enim ante altare Constantinianæ Basilicæ coronam argenteam librarũ viginti: Cantharos argenteos sex: aliaue quàmplurima in ornatum templorum pius Pastor contulit. Quibus pulchrè peractis, & ordinationibus præsbyterorum, diaconorum, & plurium episcoporum factis, moritur post annũ sui Pontificatus nonum, cum xviii. diebus. Vacua tum Beati Petri sedes fuit dies sex.

Ioannes Primus P. M.
Cap. IIII.

Ad Ioannem primum, natione Hetruscum, post Hormisdam cura Romanæ sedis trãsfertur. Qui Orthodoxæ fidei studiosissimus Arrianæ perfidiæ sectatores expulit, eorumq; templa catholicis tradidit. Quod quidem Theodoricus Rex ægerrimè ferens piissimũ virum Rauennæ coniecit in carcerem: vbi sanctus Martyr, pedore, inedia, & situ, obijt in Christo, postea quàm egregiè ecclesiam Dei gubernasset annos duos cum mensibus octo. Pastore tũ caret ecclesia dies octo et quinqua

116 ginta. † De hoc beatissimo Pōtifice illud mirabile à Senioribus narrari solitum, diuus Gregorius lib. i i i Dialogo. cap. secundo scribit: Nēpè quòd in Cōstantinopolitana Vrbe ad portā, quæ aurea vocatur, veniens, populorū turbis sibi occurrentibus, in cōspectu omniū roganti cæco lumen reddidit, & manu superposita oculorum tenebras fugauit.

Fœlix Quartus P. M.
Cap. LIIII.

FOelici quarto, patria Sammio, sedes Romana post Ioannem fuit delata. Is præstantissimus Pōtifex (ut alii tradunt) proauus Gregorii illius Magni Patriarcham Constantinopolitanum à fide catholica deuium anathemate percusit. Multa vir hic optimus in vrbe extruxit ædificia, maximè verò sanctorum Cosmæ & Damiani templum: Basilicam sancti Saturnini via Salaria igne cōsumptam restituit. Extremā vnctionē nullo pacto intermittendam præcepit. Deniq; habitis de more sacris ordinibus plurimorum præsbyterorum, diaconorum, & episcoporum, mortem obiit: vbi Ecclesiā Christi fidelissimè rexisset annos quatuor, menses duos, cum diebus tredecim. Tum capite ecclesia caret diebus tribus.

Bonifacius

Bonifacius Secundus P. M.
Cap. LV.

BOnifacius ſecundus ciuis Romanus eccleſiæ rebus non ſinè magna controuerſia præficitur. Porrò clerus populusq; Romanus quum eſſet bifariã diuiſus, diuerſa identidem ſtudia ſectabatur. Itaq; aduerſus Bonifacium altera pars Dioſcorum quendam in Pontificem delegit. Cæterùm ea contentionis peſtis intra dies octo & viginti, per obitum ipſius Dioſcori, deniq; deſiit. Proindè Bonifacius tũc ab omnibus pro vero agnitus Põtifice ad confirmandam Eccleſiam conuerſus edicto
cauit, †nè quiſquam deinceps in epiſcopatu 117
ſucceſſorem ſibi eligeret. Id quód à multis poſtmodùm Pontificibus eſt approbatum. Optauit, ut in demortui Papæ locum alter intra triduum ſufficeretur: nè dilatio ſeditionẽ quandoq; pareret. Voluit inter ſacrum Miſſæ peragendum à clero populum eſſe in templo diſtinctum, ac ſegregatum. Cumq; hic Diui Petri locũ tenuiſſet biennio & biduo, moritur Chriſto. Tunc ſedes bimeſtre vacat.

Ioannes Secundus P. M.
Cap. LVI.

IOannes ſecundus, Roma oriundus, ſummũ hoc tempore iniit Romæ Pontificatũ. Qui

Anthemium Episcopum(ut quidam scribūt) Constantinopolitanum, Arrianam in hæresim illapsum, dānauit. Ad hunc Pontificē Iustinianus Imperator Legatos cum magnis muneribus, Diui Petri templo offerēdis, salutatū misit. Postremò Ioannes vbi ad sacros ordines præsbyteros, diaconos, & episcopos mul
117 tos promouisset, moritur post annos sui regiminis duos, & mēses quatuor. Caret tùm Ecclesia Pastore diebus sex.

Agapitus P. M.
Cap. LVII.

AGapitus ciuis Romanus vbi primùm Christi Vicarius fuit designatus, Constantino-
118 polim est profectus. † Quo quidem in loco oblatum sibi Claudum & mutum ingredi & loqui in virtute IESV Christi protinus fecit. Cuiusmodi miraculi meminit Diuus Gregorius lib. Dialog. iii. cap. iii. Enimuerò ab Imperatore Iustiniano, qui eum honorificentissimè susceperat, rogatus vt sectam Eutichianā confirmaret, Vir sanctissimus nequaquàm assentiendum Cæsaris petitioni putauit. Tùm verò Iustinianus suis precibus minas addens, ab Agapito confestim audiuit: Ego ad Iustinianum Principem Christianissimum venire optaui, sed Diocletianum, Christianorum hostem, inueni. Hac nimirùm libertate dicendi

(Deo cooperante) permotus Iustinianus, & fidem catholicã strenuè est amplexus, & Anthemium Episcopum, Eutichianæ hæresis sectatorem, vrbe expulit: Mennam autem virum catholicum in eius locum substituit: quẽ & sanctus Agapitus cõsecrauit. Agapitus iste fuit vas catholicum, Euangelii tuba, & preco iustitiæ. † Is vniuersalem illã Synodum quin- 119
tam Constantinopolitanam indixit aduersus hæreticos, Petrum Archiepiscopũ Antiochenum, Sæuerum, & Zoaram. In qua etiam Synodo Constantinopoli suũ diem clausit extremum, prout in voluminibus sacrorum conciliorum legitur. Cuius corpus Romam delatũ sepelitur in Basilica Petri Apostoli. Ecclesiæ Dei magno cum fructu præfuit menses vndecim, diebus vndeuiginti.

c. Agapitus. de consecrat. distinct. 1.

Siluerius P. M.

Cap. LVIII.

Siluerio Campania oriundo, Theodati Regis Ostrogottrorum fauore in Italiam tùm regnantis, summam Ecclesiæ Christi Romanus clerus commisit. Quare indignatus Iustinianus Belisarium cum exercitu in Italiam (huius rei contra Theodatum vlciscendæ gratia) misit. Intereà verò Theodora Augusta, Iustiniani Imperatoris vxor, à Siluerio Pontifice petiit, ut Anthemium, ob Eutichianam hæresim ab

sim ab Agapito pridem de Constantinopolitana sede pulsum, pristino loco restitueret. Id cùm facere Siluerius recusaret, Belisario Theodora scribit, ut pulso de sede Siluerio, in eius locum Vigilium subroget: Belisarius autem rei bellicæ intentus, totam rem Antoninæ Vxori committit. Quæ, subornatis à Vigilio testibus adfirmantibus, Siluerium Vrbem Romã Gothis hostibus prodere voluisse, Pontificem cogit se abdicare Pontificatu: ac demùm posito põtificali pallio, cucullã induere monasticam, atq; in Ponto Insula exulare. Vbi non sine opinione sanctitatis & Martirii moritur, post annum nempè vnum, menses quinq;, & dies duodecim initi Pontificatus.

Vigilius P. M.
Cap. LIX.

VIgilius Romæ natus post eiectum Silueriũ summus Pontifex creatur. Vrgebat eum tunc Theodora Augusta, vt Constantinopolim proficisceretur, Anthemiumq; sedi pristinæ restitueret. Cæterùm cùm id se facturũ pernegaret: Cõstantinopolim, iuuantibus Romanis quibusdam, adducitur: Vbi Theodoræ ab eo id summoperè efflagitanti respondit: malle se quoduis supplicium perpeti, quàm sententiam iure latam immutare. Cæsus proinde sic tùm atrociter fuit, ut paululùm à ne

ce abfuerit. Profugit tamen in templum Sãctæ Euphemiæ, quod non procul aberat. Sed à tortoribus indè ereptus, & iniecto ceruicibus fune, per omnes Vrbis plateas usq; ad Vẽsperum protractus, carceri demùm tetro includitur. Ibi ſolo pane & aqua vitam aliquàmdiu ita æquo animo ſuſtentauit, ut ſepiſsimè etiam diceret, ſe peiora quoq; promeritum, ſi digna pro exceſsibus pœna irrogaretur. Verùm procurante apud Romanos Narſete, Romam tandem à Romanis reuocatur. Et quem tot mala extinguere non potuerunt, morbus calculi Syracuſis in Sicilia peremit. Cuius corpus Romam delatum apud ſanctum Marcellum via Salaria ſepelitur. Vixit Pontifex annis xvii. mẽſibus ſex, cum diebus ſex & viginti.

Pelagius Primus P. M.
Cap. LX.

IESV Chriſti Vicarius hoc tempore conſtituitur poſt Vigilium Pelagius, huius nominis primus, patria Romanus: Hîc etſi multis periculis & vexationibus Oſtrogothorum expoſitus fuit: Eccleſiã Dei tamẽ deſeruit nũ
quàm. Proindè ſtatuit, † vt hæretici atq; ſchiſ- 120
matici, qui ab errore ad ſanitatem rationibus reuocari non poſſent, ſæculari poteſtati traderentur puniendi. Quinimò & ante Pelagiũ fuerat iſtud ipſum contra hæreticos & ſchiſ-

maticos statutũ. Inquit enim sanctus Cyprianus: interficiendos hæreticos à sæculari potestate: idq; magno sacræ scripturæ testimonio docet. Vndè & sanctus hîc Papa Pelagius Laycos principes ad eam rem summoperè hortabatur dicens, nullum esse peccatum, hæreticos vel schismaticos à sæculari potestate cõprimi: hoc enim diuinæ & humanæ leges (inquit ille) statuerunt, vt ab ecclesiæ vnitate diuisi, & eius pacem iniquissimè perturbantes, à sæcularibus etiam potestatibus comprimantur. Illud idem ante Papam Pelagium aduersus Petilianum hæreticũ, testimonio veteris & noui testamẽti, necessariò faciendũ, Diuus Augustinus præclarè ostẽdit: respondetq; hæreticorum obiectis: neminem esse ad fidẽ cogendũ: hæreticos non à Christo, non ab Apostolis fuisse in corpus punitos. Atquì à Christo, flagellis fuisse coercitos, & ab Apostolis Diabolo in interitum carnis fuisse traditos demonstrat. Hũc spectat quod sanctus Isidorus scribit dicens: Quod non possunt aduersum hæreticos per doctrinæ sermonem Sacerdotes, hoc impetret sæcularis potestas per disciplinæ terrorem: Ideoq; intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam si agunt, rigore principum conterrantur. Hæc ille.

c. Si audieris. 23 q. 5.

c. Qualinos. & c. præcedẽti. 23. q. 5. l. Arriani. C. de hæret.

c. Quando. et in c. qui peccat. 23. q. 4. c. ad fidem nullus est cogendus. 23. q. 5.

c. Principes sæculi. 23. q. 5.

Eòdem referendũ (præter memorata) arbitror: quia, propter idolatriã populi Israelitici, *Exodi. 32.*

Moyses multa hominū millia gladio percus-
sit. Si ergò Idolatra (quoniam recedit à Deo
ad alienos Deos) fuit à Moyse sublatus: cur &
hæreticus, qui ab vnitate, à charitate, à dile-
ctione Christi Ecclesiæ ad singulares & vanas
opiniones, ad Dæmonum conuenticulas, ela-
to supercilio, spontè contendit, non erit con-
sumendus? Atquî pertinaces & impœniten-
tes hæretici igne solent cremari. Quam pœ-
nam euangelica lege in eos constitutam, Ho-
stiensis, Ioannes Andreæ, Panormitanus, & re-
liqui Doctores communibus suffragiis adfir-
mant. Sileat proindè prodigiosa hæreticorū
lues: quæ mauult ab vnitate Ecclesiæ Christi
proditoriè deficere, quàm flammas ignis, iu-
stum Dei iudicium, effugere. Sed Pelagii ge-
sta ex Germanis repetamus. † Præcepit Pela- 121
gius Clericis, qui sacris essent initiati ordini-
bus, ut septem horarium pensum Deo quoti-
diè persoluerent. Voluit item vnamquamq;
prouinciam decem aut duodecim constare ci-
uitatibus. Sanctus ille Pontifex, quum accu-
saretur, quòd malorum Vigilii prædecessoris
ipse causa fuisset (Iustinianus enim Imperator
eum Vigilio semper prætulit) crucem atque
Euangelia, inspectante clero populoq; Roma-
no, tangens iusiurandum iurauit, se huiusmo-
di criminis esse prorsus expertem. Quo qui-
dem iuramento apud omnes egregiè est pur-
gatus.

In .c. ad abolendā. in prin. in. c. excōmunicamus ex de hæreticis. allegāt illud, si quis in me non manserit, &c. Ioannis. 15.

gatus. Per id tempus Narses belli Dux & Gothorum victor Romam rediit. Quare Pelagius supplicationes in Vrbe a templo sancti Pangratii vsq; ad Basilicam Diui Petri, pro rebus bene gestis, & vrbe a Gothica lue liberata, ad Deum reuerenter habuit: & Vrbem barbarie deformatam pro sua virili restituit. Cauit quoq;, ne quispiam ad quosuis sacros ordines ambitione, aut precio admitteretur. Nouissime post XI. sui Pontificatus annum, atq; mensem decimum, & diem XXVIII. creatis prius episcopis, præsbyteris, ac diaconibus multis, moritur. Pastore tum caret Ecclesia Dei menses ferme quatuor.

Ioannes Tertius P. M.

Cap. LXI.

551 IOanni tertio, patria Romano, Illustri genere nato, Ecclesiæ cura hoc tempore concredita est. Vir iste prudentissimus quippe fuit, mitisq; admodum Pontifex. Sanctorum Martyrum cœmiteria restituit: Iacobi atq; Philippi templum a Vigilio Pontifice inchoatum absoluit. Narsetem Eunuchum, insigne belli ducem, Romanis serio infensum, in amicitiam Romanorum addixit. Huius Ponti
122 ficis opera Armeni ad fidem Christi sunt conuersi: Igneæ trabes in cœlo visæ fuerunt, & multa alia prodigia in Italia apparuerunt: præ-

ſagia ſanè calamitatum, quas Barbarorum irruptiones Italiæ haud longo poſt tempore intulerunt.. Probus tandem Pontifex dolorum & perturbationum plenus, ætateq; grãdæuus, poſteaquàm annis plus minus tredecim ſanctam gubernaſſet eccleſiam, Chriſto diem obiit extremum. Caruit per illius obitum illis diebus Paſtore eccleſia menſibus decem & triduo.

Benedictus Primus P. M.
Cap. LXII.

BEnedictus primus, ciuis Romanus, ad ſummum euectus Pontificatum, tanto ſe dignum honore cùmprimis præſtitit. Italiæ etenim, præſertim autem Romæ, annonæ penuria periculosè admodum laboranti vnà cum
Tyberio Auguſto opportunè ſubuenit. † Ex 123
Aegipto quippè frumentum aduexit: & Vrbẽ longa nimis inedia penè conſumptam ab ingruenti periculo liberauit. Cæterùm paulò poſt ex mœrore, quem ob vrbis ac Italiæ à Lõgobardis tunc primùm oppreſſæ calamitates conceperat, diem clauſit extremum. Rexit Chriſti Eccleſiam Optimus Pontifex annos quatuor, & menſes penè duos. Cuius tumulo carmina huiuſmodi fuere inſcripta.

Magna tuis monumẽta, pater Benedicte, relinquis,
Virtutum titulus, ò Decus atque dolor.

Pelagius

Pelagius Secundus P. M.
Cap. LXIII.

PElagius secundus Roma oriundus in summo Ecclesiæ gradu absq; Cæsaris Mauricii scitu uel auctoritate constituitur. Sūmi nanq; Pontificis electioni Imperatoris solebat eo sæculo interuenire auctoritas. Huius loci gratia ogganniunt, obstrepunt, vociferantur in immēsum hæretici horum temporum, maximè autem in Germania: quòd hac tempestate nō amplius eligantur summi Pontifices Romani ad Cæsaris nutum, quemadmodum olim fieri consueuit. † At verò hi scire debuerant: nullam a summo principe immutari legem, nullamuè à nouo promulgari, nisi rerum experimenta id ipsum fieri omninò prius suaserint. Quàmobrem sequentes postea Pontifices, veluti Leo nonus natiōe Alemanus, Nicolaus secundus, Alexander item secundus, reliquiq; deinceps Pontifices Maximi animaduertentes tùm ecclesias Dei in laycorum manibus vænales haberi: Priores & Abbates, accepta plerūq; pecunia, Monasteriis præfici: Episcopos eadem auariciæ labe Ecclesiis per simoniam turpiter constitui: bonis ecclesiarum perfidè inhiari: & non decere Laycam manū ad spiritualem extendi potestatem: vetuerūt meritò quidem, summum Pōtificem Romanum

124 *l. Ipsis rerū experimentis. c. ut in possess. legato.*

c. In nomine Domini. 23. distinc.

num ab aliis, quàm à clero Romano, deinceps eligi:et loco inferiore, quum ad illos piissimos Pontifices ventum fuerit, hac de re ex Germanorum historiis cõmodius scribemus. Ad Pelagium, & Germanos redeamus. Enimuerò Pelagius ad excusandam causam non requisitæ principalis auctoritatis, Gregorio ciue Romano, Monaco & Diacono, viro optimo atq; doctissimo, qui postmodum Pelagio in Pontificatu successit, Constantinopolim misso, placatum Imperatorem protinus reddidit. Cæterùm Gregorius legatiõe ex sententia pulchrè functus, libros moralium in Iob eruditè illic quoq; conscripsit:& Eutichiũ Cõstãtinopolitanæ Vrbis Episcopũ ita, præsente Cæsare, disputationibus conuicit, ut omnia, quæ in libro de resurrectiõe mortuorum cõtulerat, reuocarit. Multos vtinã Gregorios (aut saltem secundos, vel tertios, siue etiam quartos à Gregorio) habuisset semper Apostolica sedes Romana in Germania & alibi locorum internuncios. † Quanti autem referat, mittere in legationẽ Apostolicam viros, qui non sua, sed quæ Dei & ecclesiæ sunt, prudenter quærant, res ipsa profectò nimiùm nemini iam non indicat. Sed cœpta prosequor. Pelagius iste edicto etiam cauit, nè quis, præter Romanum Pontificem, auderet conciliũ vniuersale vsquàm gentium vel indicere, vel habere. 125

126 habere. † Siquidem ea potestas, huiusmodi cõ- *c. Multis denuò. 17. distinct.*
cilia celebrandi, ex Apostolicis, canonicis, atq; ecclesiasticis regulis, ad sanctam Sedem Romanam, & ad alium neminem, pertineat. Id quod verissimum esse, gesta summorum Põtificum à nobis hactenus descripta haud obscurè ostendunt. Cæterùm Pelagius vbi Gregorium internuncium suum, rogatu populi Romani, ad Vrbem reuocasset, domumq; paternam in Xenodochium senũ pauperũ conuertisset, & Basilicam sancti Laurentii Martyris à primis extruxisset fundamentis: pestilentia, quæ totam tum peruagata est Europam, correptus interiit: anno quippè sui Pontificatus decimo, mense secundo, die decimo. Va-
cua eo tempore fuit Petri sedes circiter septem menses.

Gregorius Primus, à rebus gestis cognomento Magnus P. M.
Cap. LXIIII.

GRegorius, ob præclarissimas animi dotes, cognomento Magnus, eius hominis primus, senatore patre Romæ genitus, dein Monachus, & Doctor celeberrimus factus, ad sũmum Pontificatus culmen vel inuitus à Clero populoq; Romano in magna rerũ omniũ
127 perturbatione vocatur. † Is itaq; non sibi ipsi, sed diuino honori, atq; hominum vtilitati,

probè consulens, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, omniq; ambitione, & potentia, Reipublicæ Christianæ gubernacula suscipiens, ita vixit, vt longo post tempore parem ex suis successoribus habuerit neminem. Claruit vitæ sanctitate, eruditiõe, & in rebus agẽdis diligentia omnibus antecelluit. Sanctissimus vir Gregorius Synodum habuit apud sanctum Petrum quatuor & viginti episcoporũ: qua sustulit plurima, quæ sanctæ religioni nocitura videbantur, & utilia instituit. Inter cætera verò valdè probauit, ac sanctorum Euangeliorum instar, est veneratus Cõcilium Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinũ, & Calcedonense. Vetuit certas quasdam personas ad clericatus ordinem promoueri. † Clericis fornicariis ingredi templum uetuit, donec pœnitẽtia ducti à fornicatione abstinuissent. Sin uerò in peccato suo perdurassent: cunctis in vniuersum Christianis præcepit, nè illorum officiis vel sacrificiis interessent: quoniam benedictio illorum vertitur in maledictionem. Grauissimè lædunt ecclesiam clerici fornicarii: & magni scandali origo ipsi profectò sunt. Porrò hæretici incontinentes, proni in venerem, hunc fornicationis locum aduersus nostrorum sacerdotum ordinem mirè vrgent: obiicientes nostratibus licitam quasi (licet falsò) fornicationem. Ideoq; putant conducibi-

c. Sicut S. Euangelij. 15. distinc.

c. Maritum duarum. 33. distinc.

128

c. Si qui sunt præsbyteri. 81. distinct.

lius fore, vxores sacerdotibus & ancillulas do-
129 mi adesse, quàm concubinas: † propterea
quoq; illorum sacerdotes inuerecundè hære-
tici cogunt nubere, & si aliàs nupturi non es-
sent. Qua in re quàm grauiter errēt, inferius
suo loco facilè explicabo. Citra piaculum ta-
ceri hoc loco non potest splendidissimum hæ
reticorum mendacium: quibus familiare nun
quàm non fuit, Vicarium Christi & sanctam
eius ecclesiam calumniari. Aiunt quippè hi,
in Romana ecclesia, fornicationem Sacerdo-
tum, & cōcubinatum, esse permissum: ob id
ipsi à fornicatione abhorētes (scilicet) nubūt.
130 † Sed hic Gregorii locus hæreticos splendidi
mendacii arguit. Etenim Diuus Gregorius
(quemadmodum ante ipsum & post ipsum
alii plurimi Pontifices Romani fecerunt) gra-
uissimè sub acri pœna interdixit Sacerdoti-
bus fornicationem.

Allegato. c. si qui sunt præsbyteri, & c. si quis clericus. c. Romanus. c. Præsbyter. et per totam. 81. distinc. c. Nullus. c. Præter hoc. 32. distinct.

Aliud fornicationi cognatum in multis
Europæ locis frequens nimis est: ut in qua-
tuordecim, aut sedecim annorum Adolescen
tes, neq; bonis instructos moribus, neq; ca-
tholicis imbutos (de bonis ac piis, qui etiam-
num illic permulti sunt, non loquor) docu-
mentis, qui vel primæ, aut secundæ (et non
inferioris) sint nobilitatis, conferantur pin-
gues cathedralium ecclesiarum canonicatus,
& opimæ præbendæ. Quorum annuos redi-

tus bibendo, fornicando, ludendo, digladiando in publicis Gymnasiis, donec Residentiæ tẽpus aduenerit, permultos annos consumunt. Horum vestitus tantùm abest, ut iuuenem ecclesiæ addictum, & bonarum artium studiis, atq; pietati obnoxium, præseferat, quòd etiã atrocem militẽ, ac blasphemum planè ostendat. Paliolum breue ad vmbilicum vsq; protensum, neq; eorum manus, neq; nates tegẽs, humeros illis operit. Latis & oblongis gladiis accinguntur: Caligas gestant deformes: quarum fœmoralia nõ ad genu tenus tantũm decenter, sed ad talos propemodũm ridiculosè dependent. Huic vestium ornatui Cristatum
plumis pileum postremò addunt. † De hoc 131
hominum genere, de ista educatione solent si bi Episcopos plerunq; illi populi in Ecclesiis constituere. Qua igitur ratione fornicationes, & crimina Sacerdotum reliqua, ab Episcopis illic vindicentur, depræhendi ex memorata historia potest. Mirãdum quidem summoperè esset, si vniuersa illa loca (talibus Episcopis) hæresibus, variis erroribus, rapinis, seditio
nibus, latrocinijs, non complerentur. † Solis 132
inquam nobilibus, nõ autem aliis doctis & virtute præditis viris, Episcopales inibi hactenus licuit conscendere sedes: qui planè iuuenes non Dei vel religionis amore, sed luxus, & diuitiarũ cupiditate ecclesiam inuadere, haud

rarò

raro solent: nullam penitus curam animarũ, voluptatibus corporis immersi, gerentes. Sed Gregorii gesta ex Germanis referre pergamus.
133 † Is autem, cur necessario Christianis (ob Decimam nempe temporis Deo debitam) sit ieiunandum pulchre docuit. Insuper addidit sanctissimo canoni missæ illa verba: Diesq; nostros in tua pace disponas. Voluit initium Missæ cum vno versu alicuius psalmi fieri: & ne quid ornatus atq; concentus inter sacrificandum deesset, studiose cauit. c. Quadragesimá. de consecra. distinct. 5.
134 † Vt hinc perfacile possit liquere, à sanctissimo, doctissimo, & citra cõtrouersiam optimo Pastore, Gregorio Papa, Sacrosanctũ Missæ sacrificium fuisse vehementer frequentatum atq; auctum: Sacrosanctum, in quam, Missæ Canonem magnopere auctiorem redditum.

135 † Accedit quoq; ad gloriam sanctissimi huius Gregorii & Romanæ sedis, hæreticorum verò ingratitudinem, quòd anno sui pontificatus quinto, Augustinum Mellitum Monachum, Euangelii concionatorem, in Angliam misit: ac rursus post annum septimum alios doctores plurimos, verbi Dei ministros, in eãdem Angliam summisit: quorum prædicatione Angli tùm, siuè Saxones, qui rerum in Anglia sunt potiti, ad fidem Christi sunt conuersi. Ad germanos scriptores redeo. Humilitate hic magna præditus, Vrsperg. in Mauricio, necnon & Freculphus auctor in historia grauissimus, Tomo suorũ Chronicorũ. 2. lib. 5. cap. 24. Beda. de gestis Anglorũ lib 1. Mutius de Gergmanorũ prima orgine lib. 5.
136 † omnium sui ordinis

primus,

primus, seruum se Dei seruorum appellauit. Omnem penè institutionem Ecclesiastici officii (veteris præsertim) ipse adinuenit, probauitq́;. Supplicationes maiores, pestis sedandæ caussa, ac stationes instituit. Exornatis quibuscunq́; potuit rebus Basilicis Romanis, Deoq́; dedicata Gothorũ Ecclesia, paternam domũ, in Cliuo scauri positam, haud procul à circo maximo, in monasteriũ redegit: vbi & peregrinos iugiter suscepit: & pauperes vndiq́; aduenientes cibo potuq́; liberaliter refecit: Vir quippè in omni eius vita summa laude dignissimus. Moritur tandem Christo post annum sui Pontificatus x i i i. mensem sextum, die decimo. Sepelitur in Basilica Diui Petri ante sacrarium, collachrimantibus cunctis. Sine pastore tũ fuit Christi Ecclesia mẽsibus quinq́; & diebus vndeuiginti.

Sabinianus P. M.
Cap. LXV.

POst Sanctum Gregorium Sabinianus in Põtificatu successit. Cuius originẽ aut patriã nemo historicorum posuit. Solebat (ut sæpè fit) præclarissimis facinoribus sui prædecessoris (cùm assequi tantam immortalis virtutis gloriam nequiret) inuidere. Hic horas in ecclesia, officii gratia, distinxit: & accensas lampades in templis, præsertim verò in Basilica

Diui Petri, perpetuò haberi constituit. Sed cùm annum vnum, menses quinq; & dies nouem, rexisset ecclesiam, diem functus est.

Bonifacius Tertius P. M. Cap. LXVI.

BOnifacius Tertius ciuis Romanus, tanto Romanæ sedis sacerdotio dignus habitus
137 est. † Qui à Phoca Imperatore, nõ absq; magna controuersia, obtinuit: ut Romana Beati Petri Apostoli sedes, etiam Imperatoris decreto, omnium Ecclesiarũ caput & Magistra diceretur ab omnibus, & haberetur. Quem quidem locum Constantinopolitana sedes (fauentibus interdum malis principibus) indignè sibi vendicare conabatur. Euicit meritò tamen Bonifacius, vt Romana sedes cæteris (ut anteà) vniuerso in orbe, Imperatoris quo-
138 què iudicio, anteferretur. † Eius etenim solius sedis constantia & integritate cunctæ hæreses sunt semper confutatæ. Iure quidem prælata nunquàm non fuit Romana Ecclesia cunctis. *Matthæi.16.*
139 † Fundata enim à Christo vnicè fuit Romana Ecclesia super personam Petri Apostoli, Apostolorum principis, & primi Romanorum Episcopi. Cui nempè Petro, & eius successoribus potestatem Christus amplissimam dedit ligãdi, & soluẽdi in cœlo et in terra, quodcunq; ligari, aut solui oportuisset. Quamobrẽ

etiam videmus, post ipsum Petrum, ad nostra vsq; tempora, à nemine prorsus alio, quàm à successore Petri, & Apostolica sede Romana diuersas (ut iam ex Germanis tradidimus) obortas hæreses & sectas fuisse euulsas. Si innumeras propemodum hæreses, variis temporibus, diuersis in locis, in Ecclesia enatas Romana sedes oportunis remediis non extinxisset: quot nunc quæso capita, quot nanq; opiniones, quot item sectæ iam de fidei dogmatibus essent? Proinde Ireneus aduersus Valentinianũ de primatu Romanæ Ecclesiæ sic scribit:

Lib. 3. cap. 3.

† Sed quoniam valdè longum in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ ecclesiæ successio (scilicet) sufficit. Per cuius ecclesiæ traditionem ab Apostolis acceptam, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientẽ vsq; ad nos, cõfundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanã gloriam, vel cæcitatem, & malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc.n. ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem cõuenire ecclesiam: hoc est, eos, qui vbiq; sunt fideles: in qua sem-

140

per ab,

per ab his, qui sunt, undiq; conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Hæc Ireneus.

141 Ad hæc † ciuilis lex imperat omnibus Romano subiectis Imperio, eandem colere religionem, quam Diuum Petrum Apostolum Romanis tradisse constat. Et inquit Diuus Ambrosius. Quæ dignior domus Apostolicæ prædicationis ingressu, quàm sancta Romana Ecclesia? sanctus Hieronymus ad Damasum Papam scribens ait: se cupere, ut eius fidei confessio (si perperam facta fuisset) emẽdaretur ab ipso Papa qui Petri sedem & fidẽ teneret. Vos itaq; iam omnes compello, ò Lutheriaci, ò Anabaptistici, ò Zuuingliani, seu Caluiniani, ò Adiaphoristæ, ò Cõfessionarii, & si quæ aliæ huiusmodi sint Inferi pestes, ò filii tenebrarum feralibus istis discordiarum nominibus gaudentes, non cernitis lucem ira & furore sathanico obcæcati? Resistitis Sedi Romanæ à Christo IESV peculiariter cõstitutæ? Non discernitis falsum à vero, insensati centum annorum pueri? Moriemini in peccatis vestris, immanissima, & plusquàm turcica hæreticorum lues: & sepeliemini in dãnatione æterna: nè dubitetis. Impietatis enim & mendacii accusant vos degeneres, atq; sacrilegos, vestri hoc loc Parentes, vestri Ciues, vestri in quam Conterranei, dùm sempiternis monumentis posteritati sic prodiderunt: Ro

l. Cunctos populos. C. de summ. trinit. & fid. cathol.

In c. quæ dignior. 24. q. 1.

c. Hæc est. 24. q. 1.

mana sedes cæteris meritò antefertur: siquidem eius integritate & constãtia cunctæ hæreses sint confutatæ, ac explosæ. Imò verò & 141
leges quoq; ciuiles vos accusant, dùm exquisitè propriisq; hiscè verbis sic sanciunt: † Sancimus secundum definitiones quatuor conciliorum, sanctissimum veteris Romæ Papam, primum esse omnium Sacerdotũ, &c. Quo loco & à quatuor illis magnis conciliis illud idem decretum fuisse, ostenditur. Atqui à Cõstantino magno istud ipsum de Primatu Romanæ Ecclesiæ cõstitutum fuisse, in confesso est. Qua de re & apud Nauclerum plura. Ad institutum ex Germanis redeo. Cæterũ Bonifacius, hoc negocio cum Phoca Imperatore ex sententia confecto, & habito dein concilio, in quo plura ecclesiæ conducibilia instituit; moritur post mensem sui regiminis nonum.

§. 1. *in aut. de ecclesiastic. titu.* 142

Volu. 2. genera. 27. fol. 629.

Bonifacius Quartus P. M.
Cap. LXVII.

BOnifacio Quarto, natione Marso, post tertium defunctum cura regendæ Christi Ecclesiæ data fuit. Hic templum Sanctæ Mariæ Rotũdæ, quod veteres Pantheon, hoc est, omnibus Diis cõmune, appellarunt, à Phoca Imperatore obtinuit: illudq; (eiectis indè gentium simulachris, & templo de more lustrato) ad

to)ad

to) ad honorem Deiparæ Virginis & omniũ martyrum Deo consecrauit. Domum paternam in Monasterium conuertit: fundosuè proprios necessitatibus Monasterii & Monachorum addixit. Quibus & concionandi & absoluendi à peccatis pœnitentes dedit. Verùm post sextum Pontificatus annum, mensem octauum, & diem xiii. moritur Pontifex. Vacat tũc Romana sedes mẽsibus penè octo.

Deusdedit P. M.
Cap. LXVIII.

DEusdedit ciuis Romanus ad summum Põtificatus apicem per id tempus euehitur. Hîc quum optimus esset Pastor, mirandum in modum dilexit clerum, iuxtaq; auxit. Tan-
143 tæ demùm Sanctitatis fuit, †vt leprosum quẽdam, cùm semel obiuum haberet, osculo suo lepra mundarit. Statuit, nè Patrini filius puel- c. Non oportet. 30.q.3.
lam è sacro fonte susceptam, vxorem habere posset. Moritur deniq; vir Beatus anno sui Põtificatus tertio, die tertio & vigesimo.

Bonifacius Quintus P. M.
Cap. LXIX.

EVuehitur ad Pontificatum Bonifacius Quintus Campania oriundus, vir singularis humanitatis, & clementiæ pater. Qui benignitatis, ac pietatis officia ergá omnes libe-

raliter præstitit. Inter cætera verò cauit, ne qui ad ecclesias confugissent, inuiti indè extraherentur: Id Diuini numinis reuerentia à Christi Vicario cōstitutum, lex ciuilis indentidem probat: † neuè Acoliti reliquias martyrum attrectarent: Siquidem præsbyterorū, aut subdiaconorum illud sit munus. Præcepit item, sacrilegos vbiuis gentium anathematizari. Ad hæc voluit, testamenta iussu principis facta omni in loco valere. Cœmiteriū Beati Nicomedis extruxit; In clericos honestè viuentes munificus admodum & liberalis fuit. Obiit autem anno sui Pontificatus quinto, die decimo. Cuius mors lachrymas omnibus præ mœrore excussit. 144

l.ij. & toto titu. c. de his qui ad eccles. confug.

Honorius Primus P. M.
Cap. LXX.

HOnorio huius nominis primo, Campania oriundo, & consulari genere nato, Pontificium munus post Bonifacium per hæc tēpora defertur. Hic rebus externis quietus clerū penè collapsum, moribus, doctrina, & vitæ suæ exemplo, probè restituit. Vt illis etiam temporibus (quibus veram fuisse Romæ Dei Ecclesiam vel apud hæreticos huius æui in cōfesso est) in Ecclesia Christi clericorum mores fuerint labefacti: & tamen illi iidem clerici Ecclesiæ tùm nihilominus absq; proximi

 scandalo,

ſcandalo, vel hæreticorum maledictionibus,
145 miniſtrabant. †Mali proindè clericorum mores ſanctam Dei Eccleſiam non afficiunt: ſed corrigendi ſunt. Ad Germanos redeo. Multas prætereà Honorius in Vrbe eccleſias ædificauit. Baſilicam Diui Petri æneis tegulis, ex Iouis Capitolini æde ablatis, cooperuit. Templum Agnetis martyris via Nomentana, necnon templa Diui Pancratii via Aurelia, Anaſtaſii ad Aquas Salinas, & Quatuor Coronatorum, extruxit. Exceſsit autem è viuis vir ſanctiſsimus poſt annũ ſuæ adminiſtrationis duodecimum, menſem vndecimum, die decima ſeptima. Cuius morte vacat tum Petri ſedes annũ vnum, menſes ſeptẽ, & dies octodecim.

Seuerinus primus }
Ioannes quartus } PP. MM.

Cap. LXXI.

HOnorium conſequitur in ordine Seuerinus ciuis Romanus: Vir admodùm religioſus, inſigniq; pietate præditus: pauperum amator, alienæ calamitatis deplorator: munificus in omnes: in reparandis templis ſplendidus. Qui cùm his maximoperè occuparetur, anno ſui Pontificatus primo, menſe ſecundo Romæ obiit. Cui Ioannes Quartus Dalmatia oriundus ſucceſsit. Vir quippè pius: qui permultos captiuos, Lateranenſis Eccleſiæ theſauris,

c. In antiquis. 12.q. 1. thesauris, redemit. Hîc inito Pontificatu, protinus iussit, ut si quis temerè res ecclesiæ inuadere præsumeret, quadrupli pœnam subiret. Moritur dein post annum primũ, & mensem nonum, die autem nono suæ gubernationis.

Theodorus P. M.
Cap. LXXII.

VOcatur per hæc tempora ad Ecclesiæ regimen Theodorus, natione græcus, Hierosolymis oriundus: qui omnia, quæ ad dignitatem sanctæ Religionis pertinere arbitrabatur (uti bonũ pastorẽ decet) studiosè præstitit. In omnes, maximè autẽ erga pauperes, mirè benignus fuit. Constituit inter cætera, vt cærei Paschalis benedictio fieret in die Sabbati Sancti. Censuit, neminem separari à coniuge debere, qui nupsisset post emissum simplex castitatis votum. *c. Si uir simplex uotum. 27. distinct.* Pirrhum Patriarcham Constantinopolitanum, Sergium, aliosq; hæreticos exhautoratos exilio damnauit. Reliquias sanctorum Martyrum in magno honore habuit. Basilicam via Flaminea haud procul à Ponte Miluio extruxit, protinusq; dedicauit: Oratoria fabricauit: ac alia id genus opera egregiè confecit. Moritur demum post annum sextum, & mensem quintũ, die decimaoctaua.

Martinus

Martinus Primus P. M.
Cap. LXXIII.

SVccesit in Pontificio munere Theodoro Martinus, ciuis Tudertinus. Qui, inito pontificatu, Legatos Constantinopolim illicò misit: utq; Paulum Patriarcham ab hæresi ad fidem catholicam reuocarent, mandauit. Verùm Pontificis petitioni non obtemperauit Paulus: ob idq; à Martino dignitate priuatur. Qua re permotus Imperator Constantius, Olimpium eius cubicularium in Italiam Exarchum cum hiscè ablegat mãdatis, ut Martinũ ad se uinctum mitteret. Sed hac interim dissensione fræti Saraceni, Alexãdria Aegipti cum ingenti classe soluentes, Rhodum Insulã nauigarunt: ibiq; capta primaria vrbe, colossum, fama celeberrimum, sunt demoliti. Ex cuius ære noningentos Camelos præda onustos abduxerê. Constantius verò tantis calamitatibus nihilo melior factus, Theodoro Caliopæ Italiam petere iubet: atq; Martinum Põtificem ad se Constantinopolim vinctum adduci imperat. Theodorus dicto domini sui audiens, Romam profectus, ac à Romanis benignè exceptus, cum Pontificem salutare velle simularet, iniectis homini cathenis, eum Constantinopolim Ligatum ad Cæsarem mittit: & indè in Chersonessum, perpetuum exiliũ, deportatur:

deportatur: vbi quondam Beatus Clemens Pontifex exulauit: Martinus autem tot circũuentus ærumnis, & magna rerũ omnium inopia præssus, in exilio tandem occubuit: anno nempè sui Pontificatus sexto, mẽse secundo. Multis virtutum signis vsq; in hodiernum diẽ Diuus iste Pontifex refulget: qui et in ordinem sanctorum Martyrum fuit meritò relatus. Festa illi dies est duodecima Nouembris. Pastore tùm caret Romana sedes ob incertum sanctissimi viri obitum, mensibus quatuordecim.

Eugenius Primus P. M.
Cap. LXXIIII.

EVgenio Primo Petri sedes hoc tempore defertur: Viro nempè mira pietate, religione, mansuetudine, munificentia, & comitate, ornato. Qui statuit, Episcoporum quẽlibet carceres habere debere: in quibus delinquentes clerici peragere pœnitentiam possent. Voluit prope ecclesias domicilia sacerdotum extrui. Vetuit Monachis, quauis ex causa absq; eorum superioris licentia claustrum egredi. Moritur autem anno sui Pontificatus secundo, mẽse nono.



Vitelianus

Vitelianus P. M.
Cap. LXXV.

PRouinciam administrandi summum Pontificatum nactus est tum Vitelianus, ciuis Signinus ex Volscorum gente: vir quippe optimus, & Diuini cultus amans, atq; studiosus. Quamobrem ecclesiasticam regulam com-
146 posuit, & cantum, † adhibita organi consonantia, in Ecclesia ordinauit. Theodorũ quendam Archiepiscopum, & Hadrianum Abbatem, viros doctissimos, atq; optimos, in Angliam misit, quò illos populos in religiõe flu-
147 ctuantes confirmarent. † Quod sanè Anglis celebre hoc pium Papæ facinus esse debet: ut potè quibus (si superiora quoq; memores) sancta Apostolica Romana sedes in his, quæ ad verũ Dei cultum pertinent, nullo vnquàm æuo defuerit. Postremò, haud infœliciter administrata Christi Ecclesia, post annum sui regiminis decimumquartum, mense sexto moritur.

Adeodatus P. M.
Cap. LXXVI.

ADeodatus, patria Romanus, professione Monachus, in Sede Petri post Vitelianum locatur. Qui magna comitate, ac religione præditus, in delinquentes clemens, in paupe-

seiunctam, ob idq; Acaphalon vocatã, Apostolicæ sedi Romanæ obsequentem reddidit. Vestibulum Sancti Petri, quod paradisus appellatur, quadripartitum marmoribus strauit. Instaurauit prætereà, dedicauitq; Ecclesiam Apostolorum, via Ostiensi, & Ecclesiam beatæ Euphemiæ, via Appia. Cuius boni Pastoris vita tandẽ finiuit anno sui regiminis quinto, mense itidem quinto, & die decimo.

Agathon P. M.
Cap. LXXVIII.

AGathoni, natione Siculo, licet patre, Romano, professione Monacho, cura Pontificiæ dignitatis post Donni obitum defertur.
149 Vir tãta sanctitate emicuit, † vt leprosum semel obuiũ, osculo sub exceptum, à lepra protinus liberarit. Tantæ prætereà mansuetudinis, & comitatis fuit, vt neminem vnquàm ab se tristẽ dimiserit. Nactus proindè Imperatorem sibi moribus similem, conciliũ, Monothelitarum causa, apud Constantinopolim habere statuit. Cuius rei gratia legatos, Ioannem Portuensem Episcopum, & Ioannem Romanæ Ecclesiæ Diaconum, Cõstantinopolim misit. Quos Cõstantinus quartus mira benignitate excipiẽs, simul hortabatur, ut reiectis cauillationibus, & sophisticis altercationibus, ex æquo & bono controuersiam totam sopi-

rent, & duas ecclesias ad vnam solam reducerent. Intereà verò Pontifex, cuius tempore post solis eclypsim peste grauißima laboratũ est, anno suæ administrationis secundo, mense sexto, die decimo quinto vitam cum morte commutauit. Cuius obitu sedes Petri vacauit menses septẽdecim.

Leo secundus P. M.
Cap. LXXIX.

SVccesſit Agathoni Leo, vir genere Siculus. Qui græcè, ac latinè doctißimus est planè habitus. Canendi peritiam adeò calluit, vt pſalmodiam ipse composuerit: hymnosq; ad meliorẽ concentum redegerit. Idẽ quoq; constituit, in celebratione Missæ pacem populo dari. Sextam Synodum Constantinopolitanam vehementer probauit: & quos sancta Synodus, præsente Constantino, dãnauerat, eosdem ipse anathemate percusſit. Synodus ista vniuersalis Constantinopoli habita fuit aduersus Sergium, Paulum, Pyrrhum, Petrũ, Cyrum, Theodorum, & omnes alios succesſiuis temporibus Archiepiscopos siuè Patriarchas Constantinopolitanos: qui impiè docebant, vnam voluntatem & vnam operationẽ in Christo IESV domino, & Saluatore nostro fuisse. In cuius quidẽ Synodi sesſione tertia, præsente etiam Constantino quarto Imperatore

tore, conuicti fuere hæretici de falso. Exhibuerunt enim librum, qui habebat inscriptionem Mænnæ: veruntamen tres additi erãt in principio libri quaterniones adulterini, non habẽtes subnotationem numeri foliorum. Rursus in sessione sexta attulerunt iidem ipsi hæretici testimonia abscissa & mutila: In sessione octaua animaduersum est, hæreticos multa in describendis libris consultò omisisse, & alia in codicibus deprauasse; quæ illorum possent demõstrare errorem. Iterum in decimaquarta Sessione in medium sunt ab hæreticis prolati codices falsi, & adulterini: sicut in illo ipso concilio est videre. † Sic etiamnũm hoc sæculo splendidè mentiuntur hæretici, modò supprimentes veterum libros, quibus gestorum veritas ex fide narratur: modò allegantes locos scripturæ imperfectos: modò falsa & manifesta mendacia de summis Pontificibus Romanis imperito vulgo splẽdidè suggerentes. Vt ex obliquis hæreticorũ semitis haudquaquàm obscurè deprehendatur, quòd illorum dux, pater, & princeps, sit antiquus ille veterator Dyabolus, qui mendax est, in veritate nõ stetit, & falsa semper protulit: qui, inquam, ante mille & quingentos triginta septem annos, ausus fuit obiicere vnigenito filio Dei: si filius Dei es, mitte te deorsum. † Porrò & hodiè operarii illius Veteratoris nihil

150 (margin, beside "so concilio est videre")

Ioan. 8.

151 *Matthæi*.4.

Benedictus

hil aliud crepant, hæretici nempe, quàm hoc ſimbolum Angeli tenebrarum: qui filius Dei eſt, mittat ſe deorſum, hoc eſt, ſeparet ſe ab vnitate Eccleſiæ, recedat à fratribus ſuis, non perſiſtat in veritate, non in charitate IESV Chriſti: ſed deſerta ſummitate templi Dei, quam quidem templi ſummitatem, caput, & fundamentum ſimul, Chriſtus in Petro & ſucceſſoribus Petri, Vicariis ſuis, ædificauit, mittat ſe deorſum: & tunc demùm vnà cum Diabolo patre ſuo irrideat fratres ſuos, iudicet illos, falſas in medium proferat ad fallendum ſcripturas, videat feſtucam in oculo alterius, & interim trabem in oculo ſuo nõ curet, ſit demũ ſcandalum in Eccleſia Chriſti perpetuum, & incedat per viam perditionis latam ac ſpacioſam, impunitaq; ſibi omnium ſit ſcælerum licentia. Ad Leonem redeo. Statuit is omni die baptizari homines poſſe, modò id neceſſitas poſtularet. Noluit item prò vſu pallii, vel aliorum officiorum, quicquàm Eccleſiæ perſolui. Moritur tãdem Leo doctrina, eloquentia, religione, pietate, & ſingulari clementia præditus, menſe decimo. Cuius funus collachrymantes omnes, ceu publico orbati parente, ad Baſilicam Diui Petri deduxerè.

Matthæi.16.
Ioannis.1.
Matthæi.7.



Benedictus

Benedictus Secundus P. M.
Cap. LXXX.

BEnedictus ciuis Romanus, à pueritia Christo militans, diuinæ scripturæ sic operam dedit, ut in rerum diuinarum scientia insignis tùm quippè haberetur. Ob cuius humanitatē, & erga omnes, præsertim verò pauperes, pietatem, ità omnium gratiam demeruit, vt is ipse vnus haberetur, qui cunctorum suffragiis in defuncti pridem Leonis locum meritò subrogaretur. Huius viri sanctitate permotus tum Constantinus Imperator sanctionem Romam ad eum misit: quà nimirùm cauit, vt quem deinceps clerus populusq; Romanus in Pontificem elegisset, eundem protinus verum Christi vicariū omnes agnoscerent. Plures Basilicas restituit Papa hic sanctissimus: maximè autem sancti Laurentii in Lucina, ac beati Valentini Martyris via Flaminea. Moritur demùm post mensem decimum, die duodecimo. Qui sicuti omnibus in vita charus fuit, ita post mortem nemo non sanctū, deq; humano genere benemeritū eū prædicauit.

Ioannes Quintus P. M.
Cap. LXXXI.

EO fermè tempore, quo diem functus est Constantinus quartus Imperator, Ioānes

Quintus,

Quintus, natione Syrus, patria Antiochenus, ad sedem Petri, consensu omnium, in Ecclesia Saluatoris apud Lateranum vocatur: vir sanè doctrina, religione, ac humanitate præclarus. Qui in eiusdem Sacra Saluatoris æde voluit, quemadmodum Leo secundus fecerat, à tribus consecrari Episcopis, Ostiensi, Portuēsi, & Velitrensi. Quem quidem consecrandi morem posteri deinceps tenuerē. Cæterùm pius iste Pastor valitudinarius, quum libellū quendam de Pallii dignitate composuisset, sub finem anni primi è viuis decessit.

Conon P. M.
Cap. LXXXII.

Conon origine Tracensis, Siciliæ alumnus, indè Romam veniens, ex præsbytero summus Pōtifex creatur. Cum enim Romani Petrum quendam Archiepiscopum, exercitus verò Imperatoris Theodorum præsbyterum, ad summi Pontificatús culmen prouehere certatim conarentur: post longam tādem altercationem, diuino nutu compulsi, in eam omnes conuenerē sententiam, ut Cononem Papam designarent: Virum quippè bonum, & tanto dignum principatu. Qui compositis moribus, eruditione, pietate, religione, & forma corporis, omnibus venerabilis fuit: à nonnullis etiam, ob insignem eius ca-

niciem, & corporis maiestatem, angelicus vocabatur. Animi simplicis, integri, modestiæ, iustitiæ, constantiæ, & prudentiæ, plusquàm humanæ semper est habitus. Quamobrē cūcti, ad quos ea res pertinebat, frequenti laudū eius acclamatione eū cōfirmarunt. Cæterùm post initum Pōtificatum in valitudinem corporis statim incidit: cui vndecim menses & tres fermè dies superfuit.

Sergius Primus P. M. Cap. LXXXIII.

DEfuncto Conone, Sergius natione Syrus, huius nominis primus, patria verò Antiochenus, in Pontificatu sufficitur. Is tempore Adeodati Papæ Romam veniens in ordinem clericorum asciscitur. Posteà autem eius doctrina & circa ministerium rei diuinæ studio efflagitantibus, ad maiora gradatim conscendens tantum sibi nominis atq; auctoritatis cōparauit, ut in demortui pridem Papæ locum (licet non sine controuersia) fuerit substitutus. Porrò quum pars populi Romani Theodorum Archipræsbyterum in Pontificem quàmmaximè peteret, nonnulli ab Exarchi Iudicibus corrupti Paschalem nominassent, & vtraq; pars in palatio Lateranēsi congregata esset, conuenerunt tandem cleri populiq; Romani vota in Sergium hūc. Quem posteà

vinctum Iustinianus secundus Imperator ad sese duci iussit, quia Synodo suæ assentiri nolebat: sed recusantibus Italis militibus id cõmittere facinus, pax deniq; inter Papã & Cæsarem consequuta est. Qua demũm pace impetrata, ad instaurationem templorũ Sergius animum adiecit. Diui itaq; Petri Basilicam rudéribus, tignis putrefactis, stillicidiis corruptis, & parietibus labẽtibus ruinosám, in pristinam restituit formam. Quo quidem in loco partem quoq; Dominicæ crucis in capsula quadam ænea reperit. Beati Leonis Papæ corpus humilius, quàm par erat, sepultum, honẽstiore loco condidit: Constituit præterea, ut in fractione Dominici corporis ter caneretur in Missa: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c. †Optimi huius Sergii virtute & sancti- 152
tate Saxones Christo nomẽ dedisse, certò fertur. Neq; ad rẽ pertinet, quòd Saxones alioquì dicãtur à Carolo magno, Frãcorum Rege; ui atq; armis coacti suscipere ad Lippam fluuium fidem Christi. Porrò annis trigintatribus eam gentem Carolus & sui antecessores bello iugiter præssérũt: Sed Saxones (quẽadmodum Germani omnes historici scribũt) sæpius in hæreses collapsi, sæpius etiam ad puritatem fidei sunt vi & armis restituti. Quarè mirũ haudquaquàm videri potest, si Sergius Papa in Euangelii luce primus fuerit Saxonũ

præceptor

præceptor atq; magister: quamuis ipsi posteà in ueritate & fidei synceritate nõ steterint, & propterea à Carolo magno armis sæpius debellati, tandemq; in ordinem fuerint redacti. Id quod et sæculo nostro Saxonibus accidere, nemo nõ videt. Ad Sergium redeo. Nouissimè ergò, rebus multis insigniter gestis, Sergius post annum suæ villicationis tredecimũ, & mensem circiter nonum, vniuerso collachrimante populo eius vitæ pensum absoluit.

Ioannes Sextus P. M.
Cap. LXXXIIII.

AD hunc Ioannem eius nominis sextum, natione græcum, cura Ecclesiæ Dei post Sergium peruenit. Is Basilicam Sãcti Andreæ in Vaticano restituit: Altare principis Apostolorum Petri, columnis dextra leuaq; positis, magnificè ornauit: ac ut pius erat animo, multos, ære Ecclesiæ, captiuos redemit. Moritur autem Pontificatus sui anno tertio, mense tertio. Sunt qui scribant, Ioannem hunc Martyrio coronatum: Verùm à quo martyrium fuerit perpessus nusquàm legitur. Humatum fuit eius corpus ad Cathecumbas Sebastianas, Via Appia.



Ioannes Septimus, & Sosimus, qui & Sisinius } PP. MM.
Cap. LXXXV.

IOannes septimus itidem Græcus sexto successit. Pontifex sanè multæ sanctitatis & eloquentiæ. Qui in Diui Petri Basilica oratorium in Dei genitricis honorem extruxit: cuius parietes opere vermiculato intecti dextra leuáq; quorundam patrum vultus æquè ostẽdebãt. Basilicam sanctæ Eugeniæ dudùm vetustate collapsam restituit: Cœmiteria sanctorum Põtificum Martyrum, Marci, Marcellini, atq; Damasi, exornauit: Plures Basilicas pictura & sanctorum imaginibus cultiores reddidit. Moritur tandem anno secundo, mense septimo, die verò decimaseptima.

Sosimus autẽ, qui & Sisinius, natione Syrus, etsi syncerè fuerit bonus, nihilq; in Põtificatu prætermiserit, quod boni Pastoris cõueniret officio: attamẽ podagra & chiragra ita iugiter laborauit, ut neq; ingredi pedibus, neq; cibum sibi ingerere manibus quiret: proindè & subita morte post xx. dies ereptus est.

Constantinus primus. P. M.
Cap. LXXXVI.

PEr id tempus, quo Romæ triennio fame laboratum est, Cõstantinus primus natio-

ne

ne Syrus, vir quippè latina græcaq; lingua do
ctiſsimus, ad ſedem Petri vocatur. Is tanto ſtu
dio omnes, præſertim verò pauperes, in ea fa-
mis calamitate iuuit, vt Conſtantinum cœlo
in terras demiſſum homines arbitrarentur.
Cùm verò Iuſtinianus ſecundus Imperator,
qui amiſſum imperium rurſus occupauerat,
mutato in melius conſilio, Apoſtolicam ſedē
Romanā tum in honore, tutela, atq; venera-
tione habere cœpiſſet: deſiderio quoq; Con-
ſtantini Pontificis videndi ardebat. Proindè,
Miſſa claſſe, Papam rogat, ad ſe Conſtantino-
polim vt proficiſcatur. Papa autem precibus
annuens Cæſaris, claſsi & vento ſe lubens cō-
miſit. Quē Regiæ Vrbi aduētātem Tiberius
Imperatoris filius regio inſtructus comitatu,
necnon & Cyrus Patriarcha Conſtantinopo-
litanus cum omni clero, ad octauum vſq; la-
pidem egreſsi honorificè excipiūt. At Impe-
rator Iuſtinianus paulòpoſt Vrbe egreſſus nō
modo Papam demiſsè complectitur, ſed etiā
153 illius pedes venerabūdus exoſculatur.† Poſt-
eà, defuncto Imperatore Iuſtiniano, Pōtifex
Conſtantinus Philippicum, qui in Imperio
ſucceſſerat Iuſtiniano, hæreticum pronūciat:
quinimò habita Synodo, non ſolum Philippi-
ci & Ioannis Monachi opiniones de imagini-
bus improbauit, verùm etiam imagines ſan-
ctorum patrum, qui ſex vniuerſalibus Conci-
liis,

liis, per omnes approbatis, interfuerãt, & per Philippicum Imperatorem de parietibus sanctæ Sophiæ (ignominiæ causa) abrasas, in porticu tẽpli Diui Petri depingi statuit. Ad hæc, optimus hîc Papa cauit, † ne Imperatoris hæretici nomen publicis scriptis, aut priuatis, in 154
ære, auro, argento, plumbouè insculperetur, vel quoquo modo pingeretur. Obiit demùm Pontifex Cõstantinus septimo sui Pontificatus anno, die nempè vigesima.

Gregorius Secundus P. M.
Cap. LXXXVII.

GRegorius secundus ciuis Romanus, Papa sanè optimus atq; sanctissimus, per hæc tẽpora sedere cepit: Is tantæ fuit eruditionis & facundiæ, ut omnes de fide catholica perperã sentiẽtes erroris facilè conuicerit. Porrò sub Pontifice Sergio sacris initiatus, sacellis, & Bibliothecæ, magnæ vir fidei & integritatis habitus, præfuit. Diaconatus dein ordinem sumens Constantinopolim cum Pontifice Cõstantino profectus, de nonnullis fidei articulis, de quibus tùm vehemens & acris erat disceptatio, ita acutè respondit, ut omnibus ingenium & doctrina eius admirationi fuerit. Post Constantinum verò ad sedem Petri vocatus, vrbis mœnia aliqua ex parte vetustate collapsa instaurat: Basilicam sancti Petri, Laurentii

rentii martyris extra muros, Monasterium quoq; via Ostiensi haud procul à Basilica Diui Pauli positum, & Monasterium sancti Andreæ, quod Barbaræ nuncupatur, in ea, qua
155 oportuit, parte restituit. † Huius prætereà Gregorii laus præcipua fuit, quòd ipsius opera Germani ad fidem IESV Christi sunt conuersi. Misit enim Gregorius in Germaniã Bonifacium ac alios, qui, proposita veritatis luce, Germanos ipsos è tenebris educerent. Veram quippè Germani scriptores narrant historiam: Misit hìc Gregorius Bonifaciũ Monachum Britannia oriundum, virum sanctum in Germaniam ad prædicandum illis populis verbum vitæ: per quem Bonifacium gentem illam sedentem in tenebris sanctus Papa Euãgelica luce illustrauit. Ipsorum autẽ Germanorum magnam partem Romam venientem suis manibus vir sanctus baptizauit. Vndè & in Epistolis dicti Gregorii ita scriptum inuenitur.

Regino in suis Chronicis sub annis Domini. 650 Otto Phrisingensis libro 5. cap. 18. 25. et rursum cap. 24 c. Antecessor. et c. quod prædecessor. 11. q. 3. Ioãnes Nauclerus volu. 2. suæ chronographiæ in 25. generatione.

156 † *Epistola Gregorii secundi ad Germanos.*

Gregorius Episcopus seruus seruorũ Dei Vniuersis Reuerendissimis & sanctissimis fratribus coepiscopis, religiosis, præsbyteris, seu diaconis, Gloriosis Ducibus, Magnificis Comitibus, & cũctis Christianis Deum timentibus: solicitudinẽ modò gerentes pro speculatione credita; quia in Vmbra mortis aliquas

gentes in Germaniæ partibus, antiquo hoste suadẽte, errare, quasi sub religione Christiana Idolorum cultui eos seruire cognouimus: aliquos verò, qui necdum cognitionem Dei habentes, nec Baptismatis sacri vnda loti, sed comparatione brutorum animalium pagani, factorem non recognoscunt, necessariò pro vtrorumq; illuminatione ad prædicandum rectæ fidei verbum harum portitorem Bonifacium, Reuerendissimum fratrem nostrũ Episcopum, ad easdẽ partes dirigere studuimus, ut & illis prædicãdo verbum salutis, vitã prouideat sempiternam: & si quos forte vel vbicũq; à rectè fidei tramite destitisse cognouerit, aut astutia Diabolica suasos, erroneos repererit, corrigat, atq; sui educatione ad portũ reducat salutis: eosq; ex Apostolicæ sedis huius doctrina informet, & in eadem catholica fide permanere instituat. Cui, hortamur ob amorem Domini IESV Christi, & Apostolorum eius reuerentiam, vt in omnibus pareatis, nisibus totis, eũq; in nomine IESV Christi recipiatis, vt scriptum est de suis discipulis: Qui vos recipit, me recipit: prouidentes insuper necessaria itineris eius, comites tribuentes, cibum etiam, & potum, vel si quid eguerit, largientes, vt vno labore & socia voluntate opus sibi creditum pietatis, & negotium salutis, annuente Deo, perficiatur, atq;

præmia

præmia laboris perpetuò percipere mereamini. Siquis itaq; huic famulo ad illuminationẽ gentium ab hac Apostolica Sede destinato, assensum vel concursum præbuerit, exorantibus Apostolorũ principibus, consortia mereatur sanctorum. Si quis verò, quod non putamus, aduersando eius præpedire conatus laborauerit, aut contrarius extiterit ministerio sibi credito, successorumq; eius eundem laborem intrantium, ex sententia diuina anathematis vinculo percellatur, perpetuaq; damnationi subiaceat. Benè valete. Data Kal. Decembris, imperãte Domino Augusto Leone, anno eius Imperii septimo, & Cõstantino Imperatore eius filio Anno quarto, Indictione Sexta.

Scripsit idem Pontifex Thuringis, inter quos erant aliqui Christiani, plures tamen adhuc pagani. Sic enim scriptum in Epistola ad illos legitur: Ideò fratrẽ nostrum sanctisimũ Bonifacium Episcopum ad uos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidẽ Christi docere.

Scripsit etiam idem Gregorius Saxonibus, quos hortatur, ut Bonifaciũ audiant, & eius doctrinã sequãtur. Hæc de Gregorio secũdo & Germanis Nauclerus vnà cum cæteris suæ gentis Germanicis scriptoribus posteritati tradidit.

Haud quaquàm hinc mihi à vero alienum

videtur, quod Beatus Rhenanus & ipse Germanus hoc loco de hac re testatur: sanctũ Maternum, Diui Petri iussu, primum omnium doctrinam euangelicam Germanis prouincialibus enunciasse. Illi etenim Germani, quorũ regio in prouinciam à Romanis redacta fuerat, utpotè ciuiliores, atq; humaniores, linguamq; callentes Romanam, qua verbi Dei præcones à Pontificibus Romanis in Germaniam missi vtebantur, priores cæteris Christũ amplexi fuerunt. Cuiusmodi rei testis quoq; est sanctus Martyr Irenæus, Vetustissimus historiæ scriptor, in hũc penè modum scribẽs: Nam etsi in Mundo loquelæ dissimiles sunt: virtus tamen traditionis vna & eadem est: & neq; hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credũt, aut aliter tradunt, & reliqua. Porrò Diui Hieronymi testimonio cõstat, Irenæum auditorẽ Polycarpi fuisse; quẽ quidem Polycarpum cum Ioanne Euangelista præceptore suo peculiariter cõuersatum fuisse, in confesso est. Enimuerò, quemadmodùm proximè relata indicant, Germani prouinciales tempestiuè satis, opera, studio, labore, & pietate Pontificum Romanorum, audiuerunt de verbo vitæ: sed illud Germani rudes interiores & intenti Demonum cultui nõ appræhenderunt: aut si qui illorum illud fortè appræhenderunt: in illo tamen & veritate non

In. 1. lib. aduersus hæreses.

non perstiterunt, uti in memorata huius Gregorii ad Germanos epistola est videre. Quocircà Beatus Rhenanus in annotato pridem loco, post vetustissimorum, & eorum quidē probatissimorum, auctorum lectionem, vnà cum cæteris Germanis scriptoribus palàm cō-
157 fitetur: † Occidentalia totius scilicet Germaniæ, Franciæ, seu Galliæ, Angliæ, & Europæ Regna Christi cognitionem Romanæ Sedi
158 debere. † Ob id quoq; veteres Germani Romanam Ecclesiam Matrem suam appellarūt, tutati sunt demissè venerati sunt: quēadmodùm Lupoldus Bebenburgius dissertis verbis testatur.

In lib. de Zelo ueterū Germanorū &c. c. 4. in fine.

Eccè Germanos, Gallos, Anglos, & deniq; primos omnium, Italos, agnitionē Christi et lucem Euangelii docuit Papa Romanus: Magister horum omnium is est in Euāgelii schola, & idē Pater in sacri baptismatis vnda. Piā, Piam ergò cuncti agnoscant Matrem, Romanam sedem, quæ piis visceribus suis ex aqua &
159 Spiritusancto nos omnes genuit. † Honoremus proindè omnes hoc quoq; nomine Patrem & Magistrum nostrum, Papam Romanum, impēdamus honorē Matri nostræ Sedi Romanæ: id quod nō solùm à nobis Deus speciatim exigit: verùm etiā lex naturæ requirit, & lex ciuilis præcipit, personam Patris & Magistri nostri honestam nobis atq; sanctā om-

Exodi. 20. Matthæi. 15. Marci. 16. l. Veluti. ff. de iusti. et iure. l. liberto. iuncta ibi glossa. ff. de obseq. à liber. et libert.

Lucæ 6. nino esse existimandam. Inhonestum planè ex iustissimo filii Dei iudicio, & improbū est, quòd super Magistrum sese attollat discipulus. Ob id sanctus ille Noe benedixit duobus *Genesis.9.* filiis suis, Sem & Iapheth, qui verenda ipsius parentis, obducto pallio, operuerunt: tertio autem eius filio, Cham, qui verenda eius genitoris reuelauerat, seuerè maledixit. Hanc ob rem, inquam, sacræ leges honore dignantur illos, qui Sanctam Romanam Ecclesiam vnicè colunt & venerantur: eos verò qui Romanæ dissentiunt Ecclesiæ, vesanos, & iniustos, iustis plectendos pœnis abominantur. † 160 Quinimò quum Papa simul & apostolica sedes Romana, ceu Germanorum, Gallorū, Anglorum, & aliarum deniq; nationum, quas docuerunt Christi Euāgelium, parentes & Magistri, illos omnes de proximis humanæ cognationis circulis attingant, ab ipsis identidē, velut filiis & discipulis, Papam & Apostolicā Sedem Romanam aduersus aliorum iniurias defendi totis viribus, atq; gladio sanè oportet: sicuti aliàs affatim ipse ostēdi. Sed Gregorii gesta ex Germanis referre pergamus. Pace dehinc Gregorius parta, iterùm reparandis templis animum adiecit. Basilicam namq; Sanctæ crucis in Hierusalem iampridem collapsam extruxit. Paternam domum post Matris obitum in Monasteriū conuertit, ad honoremq;

L. 1. C. de summ. trinit. & fid. catholi.

L. 1. & toto tit. C. de hæreti.

In prima parte defensionis Tripartitæ. ad. l. Vt uim. ff. de iust. & iure.

161 noremq; S. Agathæ Chriſto dedicauit. Leonem tertium Imperatorem hæreticum (quoniam ſanctorum imagines abolere non deſinebat) habita Synodo excommunicauit. Intereà verò omnes quum ſuo exemplo ad virtutem & ſanctitatem Gregorius allicerct, moritur anno ſui regiminis ſextodecimo, menſe nono, & die vndecimo. Fertur, ab hoc Gregorio centum & quadraginta octo Epiſcopos toto ſuo Pontificatu fuiſſe creatos.

Gregorius Tertius P. M.
Cap. LXXXVIII.

SVcceſsit ſecundò Gregorio tertius, vir patria Syrus, doctrinæ ſingularis atq; humanitatis, græcè, & latinè doctus. Qui ſacræ ſcripturæ archana ſic fœliciter rimabatur: ut nemo tùm concione, aut rerum occultarum interpræratione, fuerit illo præſtantior. Orthodoxæ fidei acerrimus extitit defenſor: ut ob eam rem graues quandoq; maximorum principum ſimultates incurrerit. Tali ingenio & animi fortitudine erat præditus, ut neq; minis, neq; armis à pio eius inſtituto potuerit vnquàm auelli. Pauperes mira ſemper charitate & eleemoſinis oppidò fouit. Parens proindè omnium, & paſtor, meritò eſt vocatus. Parens vtiq; omnium, cùm primis verò Germanorum, pius & Paſtor bonus fuit hîc Gregorius.

gorius. Id quod etiam ipsius Epistola Bonifacio pridem in Germaniam misso scripta, facilè testatur. Illius autẽ Epistolæ verba de Germanis sumpta authoribus hæc sunt.

† Gregorius seruus seruorum Dei Reuerendissimo Sanctissimo fratri Bonifacio Episcopo, ad illuminationem genti Germanorũ, vel circũquaq; in vmbra mortis morantibus misso: Magna nos habuit gratulatio, lectis fraternitatis tuæ literis, quum in eis repertũ fuerit, Domini nostri IESV Christi gratia plurimos de gẽtilitate & errore ad veræ fidei agnitionem cõuersos esse. Hinc iure tibi sacri pallii direximus munus; quo, beati Petri Apostoli auctoritate suscipiens, induaris, atq; inter Archiepiscopos vnus, Deo auctore, præcipimus ut censearis: ita ut dum Missarum solennia geris, vel Episcopum consecrabis, illo tantummodò tẽpore vtaris. Quia verò turbas, Domini gratia, in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisti conuersas, præcipimus, ut iuxta Canonum statuta, vbi multitudo excreuerit fidelium, ex vigore Apostolicæ Sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contẽplatione, nè vilescat dignitas Episcopatus. 162

Et rursus scribit ad Bonifaciũ Gregorius.

Item hoc tene, quòd quisq; fidelis pro suis mortuis verè Christianis licitè potest offerre: debetq; præsbyter, eorũ facere memoriã.

Idem

Idem etiam Gregorius scripsit Episcopis prouinciæ Bauarorum & Alemaniæ, ut Bonifacium Episcopum cum digno honore susciperent: eumq; Apostolica auctoritate missum audirent: gentilitatis ritum, & doctrinam falsorum sacerdotum abiicerent.

Sic iterùm ad eundem Bonifacium in Germaniā scripsit hic Gregorius.

Gregorius seruus seruorum Dei Reuerendissimo fratri Bonifacio Episcopo: Doctoris omnium gentium Apostoli Pauli vox est dicentis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agnoscimus itaq; hoc in syllabis fraternitatis tuæ de Germanis gentibus, quas sua pietate Deus noster de potestate paganorum liberauit, & ad centū millia animas in sinu Sanctæ Matris Ecclesiæ tuo conamine, & Caroli Ducis Francorum, à Gregorio (scilicet secundo.) hactenus dignatus est recipere, sed & in Boioaria prouincia, quæ acta sunt agnoscentes, datori omnium bonorum, extēsis ad cœlū palmis, gratias egimus, qui ianuā misericordiæ in illis partibus asperis, ac salutis ostium aperuit. Igitur quia indicasti, perexisse te ad gentem Boioaricam, & inuenisse eos extra ordinem ecclesiasticum viuentes, dùm Episcopos nō haberent in prouincia, nisi vnū
163 nomine Vnulum, quē nos ordinauimus: † & quia cum assensu Odilonis Ducis eorum, seu

optimatum

optimatum prouinciæ illius, tres alios ordinasti Episcopos, & in quatuor partes prouinciā illam diuisisti, & vt quæq; Parochia ex quatuor suum habeat Episcopum: benè & prudēter peregisti, frater, quoniam apostolicā præceptionem nostra vice adimpleuisti, ita quòd non desinas hortor. † De concilio verò iuxta 164
ripam Danubii debeas nē celebrare, valdè placet. Non pigeat te, dilectissime frater, operari opus bonum, & reliqua.

Multa alia scripsit Gregorius Bonifacio, (Veteres Germani tradunt) pro salute Germanorum: † inter cætera verò fecit ei semel po- 165
testatem, Concilium Augustæ celebrandi. Quamprimum autem is Pōtificatum iniit, Concilium Romæ celebrauit: † in quo Leo- 166
nem tertium Imperatorem, propter abrasas de templis imagines, imperio simul & fideliū communione priuauit. Oratorium pulchrū, Gregorius in Basilica Diui Petri extruxit: in quo reliquias plurimorum sanctorum condidit. Insuper Canoni Missæ verba addidit huiusmodi: Quorum solennitas hodie in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ celebratur, Domine Deus noster. Rursum aliqua templa vetustate collapsa īstaurauit: Monasteria erexit: Monachis normā benè beateq; viuendi præscripsit. Vrbis deniq; Mœnia magna ex parte diruta restituit. Eandē fermè Centumcellis,

quæ

quæ ruinosæ erant, impendit operam. Nouissimè de Deo & hominibus præclarè meritus anno sui Pontificatus decimo, mense octauo, & die vigesimoquarto, vniuerso collachrimāte populo, animam Deo reddidit.

Zacharias P. M.
Cap. LXXXIX.

ZAcharias natione græcus post Gregoriū Pontifex Maximus Romæ constituitur. Fuit vir mitissimi ingenii, miræ suauitatis, & gratiæ, omni sanè virtute præditus, cleri populiq; Romani amator: qui inter optimos principes sit adnumeratus. Initio sui Pontificatus ardentem bellis Italiam inuenit: verùm legatos, pacis ergò, ad Luithprādum Longobardorū Regem cum Trasimundo Spoletanorum Duce bella gerentem, protinus misit. Sed, re per legatos infecta, ipse Zacharias, Romano comitante clero, ad Sabinos proficiscitur: vbi Regem ipsum octauo à Narnia miliario obuiam, honoris gratia, habuit. Qui quidem Rex equo descendens Sanctissimū Pontificem in vrbem pedès deduxit. Sequenti verò die Zacharias orationem inter Missarum solēnia dissertam habuit: qua Regis Christiani, siuè in pace, siuè in bello, officium præclàrè ostendit. Ea permotus oratione Rex arbitrium componendæ pacis Pontifici liberum

tribuit, Italiæ itaq; pacem non solùm peperit Zacharias, sed & de Germanis, atq; Francis, seu Gallis, nunquàm non est optimè meritus. Cuiusmodi quidem rei præclara admodum extāt apud Germanos scriptores testimonia: quæ hic iam singula recensere longum nimis foret. Inter alia verò egregia eius in Germanos, Francos, siuè Gallos, facinora, & illud nō vulgare: quòd eius auctoritate & mandato, Diuo Bonifacio per literas petente, constitutæ in Bauaria per Bonifacium diocefes, & diuisi Episcopatus, fuerūt ab ipso Zacharia cōfirmati: Concilium in Francia sub Carolomano Francorum Duce ex omnium Germanorum & Francorum vsu est habitum. † In quo 167
fuit primo loco cautum, ut in singulos annos Synodus deinceps haberetur: falsi quoq; præsbyteri, adulteri, & fornicatores Diaconi, atq; Clerici, de peculiis siue bonis ecclesiarū fuerunt abacti, degradati, & ad obeundam pœnitentiā coacti: Ministris Dei arma gestare, vel pugnare, aut in exercitu militum contra hostem pergere (nisi propter sacrum Missæ peragendum, & sanctorum patrocinia deferenda, ac peccatorum confessionem audiēdam) omninò inhibitum. Venationes identidem, & syluestres illæ cum canibus vagationes omnibus Dei seruis ex æquo sunt interdictæ: simili modo accipitres, aut falcones, nephas
esse

168 esse clericis alere, est inibi cõstitutũ. † Quàm verò sit perniciosum, clericos, cuiusuis gradus, ordinis, & cõditionis, venationibus operam dare, & qua ratione illorum ordini venatio seuerè sit interdicta, aliàs ipse ostendi in libro, quem feci, de duplici Venatione generali & Germanica: illic commodius dignosci poterit. Ad Synodũ mandato Zachariæ apud Francos congregatam redeo; Fuit etiam in ea Synodo statutum, vt præsbyteri vel Diaconi non sagis, Laycorum more, sed cassulis, more seruorum Dei, vterẽtur: ac ipsorum nullus in domo sua mulierem habitare permitteret. Permulta alia Ecclesiæ Dei conducibilia fuerè in eo concilio sapienter decreta: quæ nunc ad vnguem referre, huius loci non est. Zacharias autem, pace vbiq; constituta, multas Basilicas, quæ minabantur ruinam, restituit: Porticum atq; turrim ante Basilicam Lateranensem à fundamentis ædificauit: Bibliothecam Beati Petri instaurauit: Basilicam Diui Gregorii in Velabro condidit, vbi & caput Diui il-
169 lius collocauit. † Venetis prætereà sub anathematis pœna inhibuit, nè seruos Christianos Saracenis, aut Gentilibus venderent. Cũq; is græca latinaq; lingua doctißimus esset, quatuor dialogorũ libros beati Gregorii in græcum trãstulit. Neq; solùm eruditione Zacharias, sed & iudicio cum summa pietate, sum-

Sub nu. 25. usq; ad numerũ. 32.

maq; auctoritate cõiuncto plurimum valuit. Nota quippè historia: Carolum Martellum Carolomani & Pipini (licet aliorum quoq;) patrem fuisse. Ea Martelli progenies solebat iure quasi hæreditario in aula Regis Francorũ Maioremdomus (ut ipsi vocabant) agere: qui sanè Maiordomus appellabatur etiam Dux. Penes hunc itaq; Ducem summa totius Francisci Regni, atq; potentia, fuit. Regi autem nihil fermè, præter nomen inane Regis, reliqui erat. Porrò incessit capillo passo, & promissa barba: in solio Regali speciẽ dominantis præseferens sedebat: Legatos vndecumq; venientes audiebat: hisq; abeuntibus responsa, vti iussus à Maioredomus fuerat, ipse dabat: præcariam vitæ alimoniam, arbitrio Maiorisdomus, accipiebat: quorsumcũq; illi eundẽ erat, Carpẽto, quod iugales boues trahebãt, vehebatur. Quarè quum Pipinus Caroli Martelli, ut dictum est, filius, Hilderici Francorum Regis Maiordomus per id tempus esset, quo Zacharias Papa vniuerso orbi Christião præerat, auctor fuit, ut habito Frãcophordii optimatum Germaniæ conuentu, & missis Legatis ad Zachariam Papam, quæreretur ab eo, diutius nè ineptum Regem tolerare deberẽt, aut potius idoneum sibi deligerent? † Zacharias Papa, audita Germanorum legatione, in hæc propè verba respondit: In sacra diuinarũ 170

rerum hiſtoria populum à Rege ignauo & ſocordi, laſciuieq;, ſpreto prudentium conſilio, intento (indulgente ſumma, ac æterna illa Maieſtate) defeciſſe: virumq; prudentē à ſuo corpore regem eſſe creatum: Regnum omne poteſtatemq; Dei Optimi Maximi eſſe, Principes, miniſtros duntaxat regnorum exiſtere: Duces populo ideò deligi, ut ſupremi Imperatoris in omnibus ſectentur voluntatem: non pro libidine ſua agant: Is demùm verus Rex, qui populum ſibi à Deo creditum, iuxta diuinæ legis præcepta placitaq;, moderetur: quò ſimul fœlices conſiant, & vitam adipiſcantur beatam: Ideoq; illum, qui regia munia è Reipublicæ vſu obire poſſet, relicto priore, Regem conſtituendum. Eiuſmodi Papæ reſponſo accepto, Franci, atq; Germani, Auguſtæ Sueſſonum habent ea de re conuentum: vbi publica auctoritate Pipinum Regem eligũt:
171 † Quem Zacharias Papa probat, atq; confirmat: Hildericum verò Regem à regno deponit: & illi ſubditos omnes à fidelitatis iuramento ſoluit. Licet hiſtoricorũ Germaniæ aliqui velint, unctionem, atq; à fidelitatis iuramento liberationem, à Stephano ſecũdo, qui Zachariæ ſucceſſit, factam fuiſſe. Id quod veriſſimũ eſſe comperio. Repetiit enim illa Stephanus in Galliis agẽs, quæ à Diuo Bonifacio, Zachariæ mandato, facta pridem fuerant. Proinde

ſanctus

Sanctus Bonifacius Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus primus, acceptis à Zacharia Papa mādatis, Pipinum inibi solenni & Christiano ritū in regem vnxit: apprǣhensum autem Hildericum, detonso capillo, in Monasterium Diui Hemerani Ratisponæ in Bauaria trusit: Gisalam Reginam identidem cœtui sacratarum Virginum in Bauaria superiore inclusit. Hæc acta fuere (Si Germanis credimus) circiter annum Christi 750. aut verius. 752. Postremò vbi sanctè, ac piè oues Christi annos decem, menses tres, maxima omnium laude & beneuolentia Zacharias gubernasset; Deo spiritum reddidit. Cuius corpus in sacra Diui Petri æde conditur.

Stephanus Secundus P. M.
Cap. LXXXX.

STephanus, huius nominis secundus, ciuis Romanus, Zachariæ defuncto in Pontificatu successit. Quippè adeò omnibus gratus fuit, ut quum ad eligendum Pontificem Clerus populusq; Romanus conuenissent: eum humeris in Basilicam Saluatoris Cōstantinianam, & indè ad Lateranum deferrent. Fuit vir singularis prudentiæ & religionis: amator Cleri: eleemosynarū dator: doctrinæ Christianæ sedulus scriptor, ac concionator: pauperū

parens

parens:pupillorum & viduarum defensor. Sãctissimum hunc Papam Stephanum operam quoq; suam impendisse Germanis, quò fidem Christi indies magis, ac magis firmius amplexarent, ex literis Diui Bonifacii Apostolici in Germania Legati, ad eundem Stephanum (vti Germani historici tradunt) scriptis, satis potest deprahendi. Illas Sancti Bonifacij literas vtinam omnes pia mẽte & humili ceruice penitus expenderent.
172 † Profitetur enim in suis illis literis inter cætera Bonifacius, qui verbi Dei apud Germanos præcipuus fuit cōcionator, ac ob id ab ipsis Germanis in hunc vsq; diẽ eius memoria sanctissimè colitur, totiusq; Germaniæ patronus habetur, se exiguum episcopum, & discipulum Romanæ Ecclesiæ: petit summis precibus vnitatem, & familiarem coniunctionem cum sancta sede Apostolica Romana: obnixè cupit permanere discipulus, fidelis, ac deuotus seruus Stephani Papæ, & Apostolicæ sedis Romanæ, quemadmodum sub tribus præcedentibus Pontificibus, Gregorio secundo, Gregorio tertio, & Zacharia fuerat: qui quidem tres Pontifices (inquit Bonifacius) eũ semper hortationibus & auctoritate literarum suarum muniuerunt, atq; iuuerunt: optat etiam Bonifacius præcepta Stephani Papæ identidẽ exequi & implere: culpam deniq; deprecatur, si quid minus rectè

admisisset in illa Romana & Apostolica legatione, qua plusquàm annos triginta tum functus erat: etenim illud, quicquid esset erratũ, iudicio Romanæ Ecclesiæ emendari vellet: & reliqua. Ad Stephanum redeo. Is quia Aistulphum Longobardorũ Regem ab occupatione agri Romani, scelere planè nimio, neq; verbis, neq; muneribus, auertere poterat, ad Pipinum Frãciæ, Germaniæq;, Regẽ est profectus. Cui Pipinus Carolum filium eius adolescentem, qui posteà, à rebus magnificè gestis, magnus cognomento est dictus, ad centesimum Lapidem, honoris & reuerẽtiæ ergò, obuiam misit: Pipinus autem tertio ab Vrbe miliario Stephanum virũ sanctißimũ, excipiens, pedes illi demissè exosculatus est: insuperq; frænum equi Pontificis assumens, ipsum Papam equo insidentem, pedibus ille incedens, ad pallacium vsquè honorificentissimè perduxit: atq; Aistulphum Regem vi & armis adegit Pipinus, vt restitueret Romanæ Ecclesiæ penè omnes, quæ in Exarchatu Rauennatensi continentur, vrbes anteà occupatas. Partiebatur autem in duas regiones exarchatus, ut omnium testantur annales, Pentapolim, & Aemiliã: Pentapolis (ut aiunt) ambit ciuitates, Rauennã, Cesenã, Forumliuii, Forũpolii, & Forum Cornelium. Aemilia verò cõtinet Bononiã, Mutinam, Regium, Parmã,

Placentiam,Ferrariam, ac quicquid Padum & Apenninum interiacet à Placentinis usq; ad stagna Venetorum,& quicquid intra Isaurum Flumen, Apenninum,& Adriaticum in-
173 cluditur. † Verùm Stephanus Papa Pipinum protinus in Regem suis manibus consecrauit: atq; Imperium è Grecis tunc ad Francos trāstulit,quod postmodū Leo tertius Papa plenissimè præstitit. Omnes itidem, qui hac de re scripserunt Germani historici, memoriæ prodiderunt, à Stephano isto Pipinum & sacramento fidelitatis, quo obstrictus anteà fuerat Hilderico Regi, liberatum fuisse,& sacra vnctione in regem promotum: atquì etiā duos eius filios,Carolum, à rerum gestarum magnitudine, Magnum posteà appellatū; & Carolomanum vnà cum eorum matre Bertruda,vnctionis regiæ simbolo fuisse tum co-
174 honestatos. † Ad hæc,Regibus illis sic consecratis benedixit Stephanus Papa,vniuersumq; populū beati Petri Apostoli auctoritate contestatus, nè alienæ posthac vnquàm stirpis, quàm Pipinorum,quos Deus Ecclesiæ suæ defensores dignatus fuisset eligere, Regem sibi paterentur. Hæc ita gesta feruntur sub anno
175 Domini.753.†Ex hac electione & coronatione Pipini, Reges Romanorum & Imperatores occidētales, Romanæ Ecclesiæ aduocatos & defensores constitutos fuisse tradunt. Cu-

In.c.Venerabilé uerſ. quod auté. extra.de electio. in Clemé. Roma*ni. uerſ. Porrò. de Iureiuran.*

iuſmodi etiam defenſionis ac tutelæ mentiō fit in Decretalium libris. † Addit prædictis 176
Lupoldus, quòd idem Stephanus Papa in ſua quadam recuperatæ apud Pariſios miraculosè ſanitatis Epiſtola appellauit Regem Pipinum Chriſtianiſsimum, & ſancti Petri fidelem: Vt indè Franciæ illius Pipini ſtemmatis Reges, Chriſtianiſsimi in hunc vſq; diem ſint paſsim iugiter nominati. Illam Stephani Epiſtolam, qua Pipinum genus eximio illo titulo exornatum fuit, & miraculum priſtinæ ſanitatis corpori redditæ patefactum, exſcribit ad unguem & fideliſsimè Regino in ſuo Chrónico ſub annis Chriſti. 753. Pace itaq; foris parta, Synodum Stephanus habuit: in qua oues ſuas, earumq; paſtores pulchrè cenſuit, & delinquentes puniuit, in viam aberrātes coegit, ignaros docuit: quid Epiſcopum deceret, quid præsbyterum, quid deniq; omnes ſacris initiatos, propoſuit. Baſilicas ab Aiſtulpho Rege, dum Vrbem obſidione cinxiſſet, dirutas reſtituit. Nouiſsimè de Deo, patria, deq; omnibus Chriſtianis benè meritus, poſt annum ſui regiminis quintum & menſem vnum, ad cœleſtem patriam beatus migrauit. Sepelitur Romæ eius corpus in Baſilica diui Petri, collachrimātibus omnibus, ceu commu ni orbatis parènte.

Paulus

Paulus Primus P. M.
Cap. LXXXXI.

AD Paulum primum, ciuem Romanum, et Stephani prædefuncti fratrē, summa Rei ecclesiasticæ post Stephanum fratrem, est omnium bonorum suffragiis delata. Licet autem quidam in electione Theophilaçum Archidiaconum omnibus aliis præferrent: attamen post lōgam patrum deliberationem Paulus, ob vitæ integritatem, atq; eruditionem, Pontifex Maximus designatur. Is quidem mitissimi & clementissimi vir fuit ingenii: qui mores & doctrinam ecclesiasticam sub Gregorio secundo, & Zacharia Pontificibus perdidicit. A quo nempè Zacharia fuerat vnà cum eius fratre Stephano in Diaconatus ordinem cooptatus. Præfuit sanctæ Ecclesiæ Paulus, Saluatoris Domini nostri IESV Christi imitator: qui nulli vnquàm malum pro malo redderet: sed è contra malos, à quibus persæpè iniuria affectus esset, in bono vinceret. Admonuit piè admodum per literas & legatos Constantinum quintū Cæsarem, etiā sub anathematis pœna, ut sacras Imagines & Statuas, quas impiè esset demolitus, omninò restitueret.
177 † Verùm paterna Pauli admonitio in hoste Christi & Tyranno infructuosa fuit: perrexit ille in sacrilegio miser: quem plaga vrens, Dei

nimirũm iudicio, quoq; cõsumpsit. Enimuerò hîc Pontifex tanta fuit pietate, ac humanitate præditus, vt noctu cũ duobus vel ad summum tribus sibi familiaribus pauperes ægrotantes inuiseret: quorum singulos verbis & eleemosinis ad valetudinem recuperandam iuuaret. Carceres identidem non rarò adibat: vbi plerosq; æri alieno obstrictos, soluto creditoribus debito, liberabat. Pupillos, aut Viduas, fraude Causidicorum circunuentos, defendit. Corpus beatæ Petronillæ, Diui Petri filiæ, de via Appia vnà cum marmoreo sepulchro, hac si quidem inscriptione, notato (Petronillæ filiæ dulcissimæ) ad Vaticanum, solẽni totius cleri atq; Populi põpa, in templum Apollinis ad caput Basilicæ Petri dedicatæ, detulit. Moritur tandẽ Sanctissimus iste Pontifex in Basilica diui Pauli via Ostiẽsi, post annum sui regiminis decimum, & mensem vnũ: restitutis prius quibusdam templis, vetustate temporum ruinosis. Illius corpus magna & frequenti processione deportatum fuit ad Vaticanum.

Interregnum in Hierarchia dixerim: Siquidem historicorum permulti hunc sequentem Constantinum nomine inter Põtifices Maximos nequaquiam commemorent.

Constantinus Laycus ui & factione Desiderii Longobardorum Regis, defuncto Paulo primo,

mo, à Gregorio præneſtino Epiſcopo ſacris initiatur, & in Epiſcopum inungitur: ac demùm Papa per vim nominatur. Sed vix anno eius durauit Pontificatus: porrò indignitate rei concitatus Populus Romanus eum de ſede eiecit, & oculis priuatum in Monaſterium coniecit. Gregorii verò præneſtini Epiſcopi manus, quibus illum Conſtantinum in fraudem conſecrarat, miraculose exaruerunt, ut eas ori admouere nequiret.

Stephanus Tertius P. M. Cap. LXXXXII.

STephanus, huius nominis Tertius, Sicilia oriundus, per hoc tempus ad ſummũ Pontificatus apicem legitimè euehitur: vir ſanè doctus, & in rebus agendis, præſertim verò eccleſiaſticis, admodùm inſignis. Hic enim à teneris Romam veniens, nutu Gregorii tertii, in Monaſterio ſancti Chryſogoni Monaſticham profeſſus vitam, viuendi rationem & doctrinam eccleſiaſticam perdidicit. Vocatus dein à Zacharia Pontifice, quum eius vita & doctrina ab omnibus probaretur, ſanctæ Ceciliæ præsbyter cũ titulo creatur. Poſtremò in Baſilica Diui Hadriani ab vniuerſo clero populoq; Romano ſummus Pontifex cõſtituitur. Qui ſtatim animum ad corrigen-

dos mores hominum labefactos adiecit. † Indicto proindè concilio, Clerum, maximè è Gallis, atq; Italia, euocatum in Basilica Lateranensi congregauit. Vbi multa de componendis Ecclesiæ rebus sunt tractata: Constantinus prædictus vnà cũ eius decretis omnibus planè abrogatus: Et omnium cõsensu ne quispiã Laycus, nisi per gradus ecclesiasticos ascẽdisset, ad summum deinceps proueheretur pontificatum, fuit sub anathematis pœna cõstitutũ: quicquid præterea egisset in re sacra Constantinus (exceptis Baptismo & Chrismate) irrita sunt declarata. Quibus ex sententia peractis, supplicationes ad Deum (gratiarũ ergò) in posterum publicè sunt decretæ. Itũ est itaq; postera die à Laterani templo maxima omnium deuotione, nudis pedibus, & ab ipso summo Pontifice, & à reliqua, quæ tum adfuit, frequenti turba, ad Diui Petri Basilicam. Demùm anno sui Pontificatus quarto moritur studiosissimus hic Ecclesiæ Pastor, Petriq; successor, & IESV Christi sedulus imitator. 178

Hadrianus Primus P. M.
Cap. LXXXXIII.

HAdrianus primus, ciuis & primæ nobilitatis Romanus, in sede Petri successit, à maioribus suis nequaquàm degener: vir animi magnitudine,

magnitudine, consilio, doctrina, & sanctitate vitæ, cum quouis optimo Pontifice planè comparandus. Qui patria & genere suo dignus, ad hoc natus videbatur, vt eo fastigii munere potiretur. Præclarè iuuit Caroli magni Francorum Regis virtutem, ut res Romana Italicaq; ab vtroq; fuerit restituta. Vix dum electio, omniū consensu, de ipso facta in uulgus exierat, quandò is magnanimus & patriæ amās captiuos ab Africa liberauit, exulesq; in patriam reuocauit. Quod cùm resciisset Longobardorum Rex Desiderius, tanti viri amicitiam (nè Francis Regibus coniungeretur) præoccupare studuit. Legatos itaq; ad Pontificem mittit, ut fœdus secum & cum Longobardis ineat. Ad quæ respondit Pontifex: se pacem cum omnibus & cùmprimis cum Lōgobardis habere cupiat: Cæterùm in verbis Desiderii nullam se posse habere fidem; utporè, qui Stephano Pontifici toties promissa violarit. Vndè misit ad Carolum Magnum oratores Pontifex opem iminenti rebus ecclesiæ excidio imploratum. Quamobrem Carolus nihil cunctatus Italiam magno instructus exercitu petit, Desideriumq; Regem in Papia ciuitate obsidet: sed post sextum mensem obsidionis Carolus vices suas Bernardo patrueli Committens, Romam, vbi sanctum resurrectionis Dominicæ Pascha posteà celebrauit,

est

est profectus. Qui Hadrianum Pontificem reuerenter admodùm, deosculatis sæpè illius pedibus, salutauit. Qua re benignè vtrinq; acta, ad Basilicā Beati Petri itum est: ubi mutuo sacramento sese ad seruandam perpetuò amicitiam obstrinxerunt. † Romæ tum Hadrianus Papa filium Caroli magni Pipinum 179
suis manibus baptizauit: quem & in Regem Italiæ inunxit. Alterum verò Caroli filium, nomine Ludouicum, idem Hadrianus Regem Aquitaniæ creauit, inunxitq; similiter. Cæterùm Carolum Magnum amborum Regum Patrem, patricium Romanum, vniuerso acclamante Romano populo, constituit. Prætereà quoq; Hadrianus, petente Carolo, Tassilonem Bauariæ Ducem, per literas & legatos, apostolica auctoritate, contestatus fuit, ac seriò monuit, vt fidem iureiurando promissam Pipino Regi, eiusdem Caroli magni patri, non violaret, sed ipsi etiam Carolo magno seruaret. Cuius Papæ mandatis Tassilo se pariturum spopōdit: & datis Regi obsidibus, pacis fœdera cum eo Vormatiæ renouauit. Atquì ipse Tassilo Dux haud multos post annos ad eundem Hadrianum Pontificem legatos Romam misit, rogatum nempè, ut litem subortam inter ipsum Ducem Bauarum & Carolum magnum sopire vellet, pacemq; componere non grauaretur. Cuius petitioni

tioni quum Papa benignè annuisset, Carolusq; tum Romæ præsens monitis Papæ obedientem se præbuisset: animaduersa est tandē Bauari fallacia, nihil minus, quàm pacem, cū Rege expetentis. Qua fraude cognita, interminatus est Tasiloni Duci Hadrianus, necnon & omnibus ei fauentibus, excommunicationem, nisi fidem Carolo Regi, eiusq; patri Pipino iuratam seruasset. Hæc ita propriè habētur in Reginone sub annis Domini 781. & 787. Lupoldo Bebemburgio. Cap.6. Ottone Phrisingensi libro 5. cap.28. Vrspergensi fol.184.185. in annis Constantini. Nauclero
180 volu.secundo, gneratione 27. †Ex quibus etiā haud obscurè constat, Papæ Romani (quoniam est Vicarius IESV Christi) esse planè munus, homines, quos dignos iudicat, Reges creare: identidēq; inter Reges, duces, ac Principes sæculi huius causas cognoscere: & in rebelles animaduertere. Cuiusmodi rei exempla loco superiore non pauca vidimus, & pau
181 lò post plura referemus. †Sub hoc eodē Hadriano in Nicæa vrbe Bythiniæ Synodus trecentorum & quinquaginta Episcoporum, quam græci septimam generalem appellant, aduersus sacrarum Imaginū destructores fuit celebrata. Cui præfuit Hadrianus per Legatos suos, Petrū sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archipræsbyterum, & alterum Petrum Mona-

c. Sextâ ſanctâ. de conſacra. diſtinct. 3.

chum. Interfuit quoq; illi Synodo Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus vir pius & bonus: ad quem tùm Hadrianus de Imagine IESV Chriſti habenda optimam ſcripſit Epiſtolam.† Circiter hæc Hadriani tempora, nẽpè anno Domini 794. multi ſcribunt, quòd in Germania in Ciuitate Franchfurt Theophilus & Stephanus Epiſcopi inſignes, & ad eam rem legati Synodum Francorum & Germanorum epiſcoporum, Hadriani Pontificis nomine, habuerunt: in qua præſente Carolo magno hæreſis Fæliciana contra Imagines ſunt ſimili modo damnata, Regino ſub annis Domini 794. Chronicha Norimbergenſia fol. 166. Nauclet. volu. ſecundo generat. 27. Vrſpergen. fol. 187. in annis Conſtantini. 182

†Huic Hadriano primo, ſanctæq; ſedi Romanæ Offa Angelorum Rex, vniuerſum Angliæ regnum (ex conuentione ſcilicet, quia Rex tùm Romæ præſens fuit) impoſito tributo, veſtigale fecit. Fuit enim ea impoſitio vnius argentei denarii ſiuè nummi per ſingulas regni domos Romanæ ſedi in annos ſingulos ſoluendi: ſic enim in Anglicæ Hiſtor. lib. quarto narratur. Id quod & anteà à Rege Ina, & poſteà quoq; ab Adulpho Rege factum, ac demum renouatum fuiſſe, paulò inferius in Leone quarto dicemus. A terrore igitur bellico ſecurus Hadrianus ad exornandam vrbẽ, 183

sacrasq; Basilicas, est conuersus: corpus diui Pauli argenteis laminis inclusit: multosq; aquæductus, turres, & mœnia instaurauit: nihilq; in tota vita prætermisit, quod ad bonum principem & optimum Pontificem pertineret. Obiit tandem anno sui Pontificatus vigesimo quarto, aut verius decimoquarto, sepeliturq; magna cum omnium laude in Basilica Petri.

183 Leo Tertius P. M.
Cap. LXXXXIIII.

AD Leonem huius nominis tertium, ciuem Romanum, Ecclesiæ Christi cura post Hadrianum, vno omnium consensu, delata est. Doctissimus quippè vir Leo: qui ab ineunte ætate Ecclesiastica disciplina sic educatus fuit, vt dignus, qui cunctis anteferretur, sit meritò habitus. Castus fuit, eloquens, syncerus, ingenio mitis, pudicus, & doctorum virorum amator: quos ad se præmiis vndiq; alliceret.
184 † Sub hoc beatissimo Pontifice Carolus magnus duos clericos Romam misit, qui de puro fonte Romanæ Ecclesiæ canendi in Ecclesia rationē perdiscerent. Per quos posteâ Metensis Ecclesia primū, & per illam omnis dein Gallia & Germania cantum Romanum fuit edocta, vti dissertè cōmemorat Lupoldus cap. tertio. Prædicationibus & admo-

nitionibus, quibus plurimùm valebat, ſolaba
tur ægrotos: eleemoſinis iuuabat ægenos.
Qui, dùm ſupplicationes, à beato Gregorio
inſtitutas, Romæ vnà cum clero & populo
haberet, Paſchalis Primicerii & Campuli præ-
sbyteri fraudibus, ac armis apud ædem Beati
Syluestri capitur, cæditur, pontificio amictu
exuitur, lingua, & oculis priuatur. Tandem
multo madens cruore Leo, in Monaſterio ſan
cti Eraſmi cuſtodiæ traditur: ǀ vbi loquelam 185
& viſum diuinitus eum recepiſſe, conſtanter
à grauiſsimis ſcriptoribus fertur. In his verũ-
tamen calamitatibus afflicti ſenis rebus auxi-
lio fuit Albini cuiuſdam cubicularii fides: qui
noctu fallens cuſtodes ad Diui Petri Baſilicã
ipſum Leonem perduxit: & Vinigiſium Spo-
letinorum Ducem in defenſionẽ acceríiuit.
Verùm paucos ibi Leo moratus dies ad Ca-
rolum magnum in Saxoniam eſt profectus.
Quo quidẽ in loco ſumma reuerentia Põti-
ficẽ Carolus excepit: vtq; Romã rediret horta-
tus fuit. Redeunti igitur Romã Leoni clerus
populusq; Romanus ad Miluiũ pontẽ vsq; ob
uiã pceſsit. Mox ſubſequutus inſtructo exer-
citu Carolus à Leone in Baſilicæ Diui Petri
atrio exceptus eſt. Qui haud multò poſt in
eandẽ ſancti Petri Baſilicã clerum populũq;
c. Auditum. 2. q. 5 Romanũ aduocauit. Quo inſpectãte, Leo Põ-
tifex de ſuggeſto, Euangelia IESV Chriſti
manibus

manibus tenens, iureiurando affirmauit, se omnium criminum, quæ illi obiiciebantur, planè esse expertem. Fuit is dies Iduũ Decẽ-
186 bris, anni salutis octingentesimi. † Licet priusquàm Leo seipsum vltrò purgasset, acclamatum sit ab omnibus, qui tum frequentes in sacra diui Petri æde à Carolo magno conuocati aderant, Episcopis Galliæ & Italiæ, Apostolicam Sedem Romanam, omnium Ecclesiarum caput, à nemine iudicari debere. Nau
187 cler volu. 2. Genera. 27. fol. 619. † Cæterùm post, in ipso nempè Natalis Domini die inter Missarum solennia, in eadem Beati Petri æde Leo Papa, scito, ac precibus populi Romani, ipsum Carolũ magnum Romanorum Imperatorem pronunciat, diademateq; Imperatorum vetusto caput illius exornat, & sacro Balsami Oleo inungit. Tùm populus Romanus, qui frequentissimus aderat, trina huiusmodi acclamatione facinus illud Leonis eximium excepit: Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victo-
188 ria. † Cùm etenim animaduerteret sanctissimus vir Leo, Imperatoribus Constantinopolitanis (id quod & alii Pontifices anteà quoq; nõ sine graui ecclesiastici status perturbatione senserant) curæ non esse tutelam & protectionẽ Romanæ ecclesiæ: imò verò ipsos Imperatores hæresibus multis diù anteà labefa-

ctos conari sanctam Christi Ecclesiam vnà cũ Romano indies magis, ac magis perdere imperio: statuit, quòd prædecessor eius Stephanus secũdus in persona Pipini Regis cœperat, in Carolo magno eiusdem Pipini filio, fœlicibus tandem auspiciis, perficere. Proindè Romani Imperii curam, sedem, & administrationem, quæ hactenus apud græcos Cæsares fuerat, ad Carolum magnum ipse Leo Papa, anno salutis Mundi octingẽtesimo primo penitus contulit. † Quam sanè Imperii transla- 189
tionem à summo Pontifice Romano factam, manibus, ac pedibus (quod est vnicè notãdũ) probarunt cùmprimis Germani, qui de manu Papæ huiuscè Imperii cum administratione coronamq; posteà hactenus susceperunt: laudarunt Itali, Galli, Hispani, Angli, Dani, Poloni, & cæteri quiq; omnes Christiani Reges, Principes, ac populi, vti notissimum est.

Obseruandum veruntamen hoc loco erit: per eam Romani Imperii translationem non fuisse ad solos Germanos in personam Caroli magni Imperium illud translatum. † Cæte- 190
rum cum grano salis ad Carolum magnũ, ceu Christianissimũ Regem, armis & opibus potentissimum, atq; possessorem Franciæ occidentalis seu Galliæ, Aquitaniæ, Hispaniæ ad Hiberum, Sabaudiæ, Burgundiæ, Belgiæ, Frisiæ, vniuersæ Germaniæ, vtriusq; Pannoniæ,

Britaniæ, Italiæ, Bohemiæ, Daniæ, seu Nortmaniæ, Histriæ, Liburniæ, Dalmatiæ, Insularum Balearicarum, &c. de manu Leonis Papæ Imperium ipsum peruenit. Porrò Carolus ille magnus memoratorum Regnorum atq; Prouinciarum possessor & Rex fuit, uti Francorum Annales, Germanorumq; historiæ tradunt. Ideoq; Carolo referenti, ceu ad oculũ, omnia illa regna, in quorum ciuitatibus singulis dicebatur suum habere domicilium, delatum sapiẽtissimè fuit Romanum Imperium. Vt hinc haud dubiè liqueat, nõ modò personæ Caroli magni, sed etiam potentiæ eius, atq; Regnorum, in illa Imperii translatione, ratione (vti diximus.) fuisse habitã. Oportuit enim & Ecclesiam Christi & Romanum Imperiũ, per nouum potentẽ & catholicum Cæsarem defensum iri. Quarè cõmuni aliorum errore, quẽ & ipse aliàs cũ cæteris sum sequutus,
191 iam maturè relicto, crediderim, † Imperium Romanum tùm fuisse ad omnes, quibus Carolus magnus imperabat, nationes, mediante persona ipsius Caroli, ex æquo translatum. Quippè in ea translatione non fuit dictum, quòd ad Gallos magis, quàm ad Germanos, vel ad Germanos magis, quàm ad Italos, aut Hispanos, transmitteretur ea regendi Imperii cura: sed Carolo magno (tot scilicèt regnorum possessori, ac arbitro) ea Imperii administratio

Iuxta notata per Bar. in l. Assumptio. §. Iuris prudentibus. ff. ad municipal.

ſtratio fuit demandata. Igitur non potuit Imperium videri ad vnam illarum magis, quàm ad aliam, nationem translatum: tametſi, ratione ordinis, ad Gallos prius ea res pertinuerit. Fuit ſanè Carolus magnus paterna, auita, & proauita origine, Gallus, ſiuè Francus, Frãciæ occidentalis: vti Abbas Tritemius in ſuorum Chronicorum compendio clarè perſcribit, Frãcorumq; annales memoriæ prodiderunt. Meritò cùm poſt Caroli magni deſcẽdentes, Romani Imperii gubernacula ad Longobardos in Berengariorum familia, & poſt Berengarios, ad Germanicam nationem, in perſonã Ottonis primi Saxonis, Romani Pontifices tranſtulerint, † & Innocentius tertius reprobãdo poſteà Philippum Sueuorum Ducem, à Germanis Cæſarẽ electum, dixerit, Romanum Imperium per Apoſtolicam Sedem in perſonam Caroli magni à Græcis translatum fuiſſe in Germanos, &c. dilucidè ex his conſtat, Romanum Imperium non fuiſſe è Græcis ad Germanos immediatè translatum: ſed in Germanos, mediante ſcilicet Carolo magno Germanorũ etiã Rege, illud ſic perueniſſe: quaſi dixerit inibi Innocentius: ad Germanos, quia Carolo magno fuerũt ſubiecti Germani, Romanum peruenit Imperium. Alioquin parùm cõgrua fuiſſet Papæ illic oratio: ſiquidem ad Gallos potius ſiuè Frãcos occidentales,

In. c. Venerabilẽ. extra. de electio.

192

dentales, in personam Caroli magni, Romanum Imperium deuenisse, dicendum fuisset. Ex cuius Innocentii Papæ loco deprælendi quoq; aliud videtur, Carolum magnum non fuisse (licet hoc aliàs certò certius sit) Germanum origine seu natione. Alioquì non fuisset opus, personæ Caroli facere mentionem, qui in generali nomine Germanorum superq; satis fuisset compræhensus: quemadmodũ nullius Græci Imperatoris Innocentius tùm sanè meminit, sed generali Græcorũ nomine fuit ibi cõtẽtus dicẽs, à Græcis ad Germanos, &c. Eòdẽ est referẽdũ, quoniã si illud Papæ dictũ ita supinè intelligeremus, ut ad solos Germanos Romanum fuisset delatum imperium: cur quæso Carolus magnus origine (ut dixi) & natione gallus, & post eum octo Cæsares idẽtidem Galli omnes, ac eiusdem Caroli magni descendentes, & post Gallos, Berengarii, ante omnes Germanos (si vel in hoc germanis etiam ipsis scriptoribus cunctis credimus) Romanum iugiter successiuis tẽporibus gubernassent Imperium? Vtiq; verò, defuncto Carolo magno, ad Germanos protinus deuoluta fuisset Romani Imperii cura, si illud Innocentii Papæ dictum ita ineptè acciperemus.

Ad hæc, bene facit tex. in c. ego Ludouicus Imperator. iũcta glo. in uers. Francorũ. 63. distinct.

193 † Transmißibile ergò ad varias nationes, ad varias familias, personas, & loca effectum est antiquitus Romanum Imperium. Nàm cir-

V

citer annum salutis. 330. non sine auctoritate & assensu Syluestri Papæ (vti verisimile est) Romanum Imperium ab vrbe Roma in Græciam Constātinopolim fuit translatum. Dein Anno Christi plus minus 754. Stephanus secundus è Græcis ad Gallos in personam Pipini illud idem Imperium reuocare est aggressus: quod posteà anno 801. Leo iste tertius in personā Caroli magni omninò cōfecit. Postmodùm Landus Papa à Gallis ad Italos, in personam Berengarii primi, contulit. Ioannes decimus tertius, aliàs xii. qui sub annum salutis. 956. aut circiter in Pontificatu Agapito secundo successit, ab Italis (notissima nemini non historia est, tribus nempè nationibus, Lōgobardis, Gallis, & Germanis, tùm pro Imperio certantibus) ad Germanos, in personā Ottonis primi Saxonis, idem Imperium transtulit. Post hæc sæpius Papa Romanus, ex magna causa, Romanum hoc Imperium variis temporibus de vna familia in aliam, & de vna persona in aliam personam, iure suo, iustissimè euocauit. Etenim Henricum quartum Franconia Germanorum oriundum Gregorius vii. Romani Imperii titulo & potestate exuit. Henricum quintum quarti filium Paschalis secundus de Imperii culmine deiecit: Friderico primo Sueuo, cognomento Barbarossæ, Alexander tertius Imperium ademit.

Chron. Norimberg. in ipso Berēgario fol. 176. Item fol. 178.

Phlipp um

Philippum Friderici illius filium Innocentius tertius ab Imperii honore, & non multo post successorẽ Philippi Ottonem quartum Brunsuicensem, planè abegit. Friderico secundo Imperii regniq; titulos Honorius tertius, & post Honorium Gregorius nonus, & post hos rursum Innocentius Quartus, iniecto anathematis vinculo, penitus detraxit. Cunradum quartum huius Friderici filium idem Innocẽtius quartus ab Imperio depulit. Ludouicum Bauarum Ioannes vigesimus secundus Imperio priuauit.

194 † Muneris quippè antiquissimi, & vetustissimæ, ac genuinæ potestatis Romani Pontificis est, Reges vel Imperatores creare, Regna illis & Imperiũ, ex causa, vel aufferre, vel exutis restituere: inter Imperatorem, Principes & Reges causam cognoscere, atq;, omni posthabita appellatione, iudicare. Sic etenim Gregorius tertius Leonem tertium, Imperatorem Constantinopolitanum, Imperio, (ut anteà ostẽdimus) & fidelium simul communione priuauit. Zacharias Põtifex anno Christi 750. Hildericum Gallorum & Germanorum Regem à regno amouit: subditos à iuramento fidelitatis absoluit: & Pipinum Caroli magni patrem inunxit in Regẽ, quemadmodum in vita ipsius Zachariæ anteà pridem annotaui. Stephanus secundus circiter annum

c. Venerabilem. ex. de elect. c. 1. ex. de probat. c. licet. ex. de voto. c. Ad apostolicæ. de senté. et re iudic. Clemé. Pastoralis. de sẽ ten. et re. iudi. c. Intellecto. ex. de iureiuran.

Domini 755. non modò Pipinum in Regem confirmauit, sed & duos eius filios Carolum, qui magnus postea dictus est, & Carolomanum ad regalem Gallici & Germanici regni promouit dignitatẽ, eosq; sacro inunxit oleo. Idem Põtifex Stephanus, mortuo Aistulpho Longobardorum Regẽ, Desiderium Longobardis Regem dedit. Hadrianus primus Pipinum & Ludouicũ Caroli magni filios circiter annum salutis 783. ad regiam dignitatem Romæ extulit: Pipinum nãq; inunxit Regem Italis, Ludouicum verò Aquitanis: Idemq; Pontifex Hadrianus causam inter Carolum Magnum & Tassilonem Bauarorum principem cognouit, iusq; illis dixit: vti omnia hæc ad eiusdem Hadriani vitam paulò ante abunde tradidimus. † Carolus magnus testamen- 195
tum suum, quod inter liberos super diuisione regnorum fecerat, non prius ratũ esse censuit, quàm ab hoc summo Pontifice Leone tertio fuerit propria manu approbatum, atq; confirmatum. † In quo quidem testamento 196
Carolus magnus tribus eius filiis & hæredibus, inter cætera, tutelam, ac defensionẽ Romanæ Ecclesiæ seriò præcepit. Ad hæc, Leo iste tertius sub anno Christi plus minus 804. conditiones pacis, & regnorum quorundam diuisiones inter Carolum magnum Imperatorem & Nicephorum Constantinopolitanũ

Lupoldus de zelo veterum Germanorum. c. 15.

Naucler. uol. 2. genera. 26. fol. 609.

Post alios uetustissimos scriptores Lupoldus de zelo ueterũ Germanorum ca. 6. Apud Nauclerum uol. 2. generat. 28. fol. 639.

Regino sub annis Domini 812. fol. 27.

factas rogatus confirmauit, illisq; subscripsit. Is ipse Leo Pontifex anno salutis 808. Eardulfum Britannum regno expulsum sedi Regiæ per legatos restituit. Stephanus quartus anno Domini 817. Ludouicum primum, cognomento Pium, Imperatorem, & eius filios Reges creauit. Lotharium enim Italis, Pipinum Aquitanis, & Ludouicum Noricis reges idem Pōtifex dedit. Paschalis primus anno Domini 822. memoratum Lotharium in Regem Italis Romæ inunxit, coronauitq;. Circiter annū Domini 845. Sergius secundus Ludouicum Lotharii filium Regem Italis decernit, coronat, atq; inungit. Nicolaus primus circiter annum Domini 860. Lotharium Regem, Ludouici secundi Imperatoris fratrem, ob adulterii causam, damnauit, anathemateq; percussit. Hadrianus 2. Anno Christi 872. Aluredum promouit Anglis in regem. Ioannes octauus, qui nonus potius fuit dicēdus, anno Christi 878. aut circiter Ludouicum, cognomento Balbum, in Galiis Regem inunxit, sicuti paulò post in vita ipsius Ioannis videbimus. Ioannē Angliæ Regem Innocentius tertius anno Domini 1212. regno priuauit. Alia quoq; id genus exempla variis in locis extant, Vt minimè gentium iam dubitari possit, Papæ solius Romani esse munus, creare, aut etiā mutare Reges, Romanosq; Imperatores, illos punire, ac

Regino sub annis Christi 808. & 809.

Naucler uol. 2. generat. 28.

Naucler. uol. 2. sub initium. 29. generat. Chroni. Norimberg. fol. 171. in ipso Ludouico.

Otto Phrisingensis lib. 6. cap. 3.

In Angliæ histo ria lib. 5.

c. Duo sunt 96. distinctio.

inter

inter ipsos lites iudicare. Ad Leonem redeo. Is demũm Pontifex ad Pipinum Caroli filiũ conuersus Regem Italiæ, vti paulò ante monui, declaratum identidem inũgit. Dein, cõstructo à fundamentis prope sacram Diui Petri ædem pauperibus Xenodochio, moritur anno eius Pontificatus primo & vigesimo.

Stephanus Quartus } PP. MM.
Paschalis Primus }

Cap. LXXXXV.

SVccessit Leoni defuncto Stephanus Quartus ciuis Romanus, nobilitate generis, doctrina, & sanctitate clarus: qui mense initi Põtificatus tertio ad Ludouicum primum Cæsarem in Galiis Aureliæ desidentem proficiscitur. Cui Ludouicus honoratissimum quemq; obuiam misit: ipse autem ad primum vsq; lapidem prodiens summa cũ veneratione Stephanum excepit. †Ab hoc Stephano Ludoui- 197
cum fuisse Rhemis inter missarum solẽnia in Imperatorem inunctum atq; coronatum cõstat. Quinimò ab hoc Pontifice Stephano nõ modò in Gallia Ludouicum fuisse in Imperatorem promotũ, atq; coronatum, sed & tres eius filios, Reges creatos: nempè Lothariũ Italiæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludouicum Noricorum, seu Boiorum, Germani scriptores testantur: quãuis etiam adfirment, eundẽ Lo-

tharium

tharium postea quoq; missum à Ludouico patre Romam ad Paschalem Papam: qui illum Italis regem inunxerit. Demùm ubi de componendis Italiæ rebus cum Cæsare sæpius cōtulisset, Romam rediit, secum adferens nimirùm crucem magni ponderis magnæq; estimationis: quam Ludouicus sua impensa fabricatam Beato Petro dicauit. Sanctissimus verò Pontifex septimo sui pontificatus mense Romæ moritur.

Hunc defunctum Paschalis primus, patria Romanus, quem ipse Stephanus antecessor ob eiusdem Paschalis virtutem atq; doctrinā, Monasterio sancti Stephani martyris in Vaticano præfecerat, nulla interueniente Imperatoris auctoritate, est in ordine Pontificū consecutus. Hanc ob rem legatos Paschalis ad Ludouicum Imperatorem misit: qui factū Cleri populiq; Romani in eius promotione excusarent: siquidem ab his coactus fuerit munus
198 obire Pontificium. † Ad quam rem Ludouicus benignè respondit: patrum instituta non esse violanda. Vndè Paschalis corpora sanctorum, parùm religiosè iacentia, honestiore loco in vrbe condidit. Praxedis templum à fundamentis extruxit: necnon et Beatæ Cæciliæ virginis. In cuius sacra æde corpus ipsius Virginis, & sponsi eiusdem Valeriani, Martyrū, vnà cum Vrbani & Lucii, Pōtificum corporibus

ribus collocauit. Multas Basilicas vetustate ruinosas restituit. Tandem nullo religionis, pietatis, humanitatisq; officio prætermisso; octauo Pontificatus anno in cœlum Beatissimus Paschalis migrauit.

Eugenius Secundus } PP. MM.
Valentinus

Cap. LXXXXVI.

PAschali mortuo Eugeniũ secundum, Roma oriundum, subrogarunt Romani. In cuius electione octauum schisma propter discordias patrum, inter Eugenium & Sysinium quendam fuisse, ferunt. Verùm Eugenius animi & corporis dotibus ornatus, eloquẽtia, & humanitate clarus, omnium consensu tandem præualuit. Qui, inito Pontificatu, spretis rebus humanis, ac fortunæ bonis, ad munificentiã & liberalitatem conuersus, rem frumentariã adeò curauit, ut nullibi vilius, quàm Romæ, annona haberetur. Pauperum, viduarum, & pupillorum, causas, atq; vitam sic est tutatus, vt illorum parentem eum omnes meritò dicerent. Hoc deniq; genere vitæ optimus Pontifex tres in Pontificatu quum transegisset annos, mortem (nemine nõ collachrimante) obiit. Quidam scribunt, oculos ab æmulis huic fuisse erutos: qui & martyrio fuerit coronatus. Cuius corpus in Diui Petri

templo

templo magna cum pietate sepulchro conditum fuerit.

Valentinus, conciuis Eugenii prædecessoris, ad regimen Ecclesiæ tùm est accersitus. Qui apud Paschalem, & ipsum Eugeniũ, viros sanctissimos, nullis addictus voluptatibus, bonas artes, & benè beateq; viuẽdi rationẽ, à teneris perdidicit. Cùm itaq; magna pietate, clemẽtia, & liberalitate polleret, ad summum Põtificatus gradum (exigẽtibus meritis) vno omniũ consensu est euectus: licet in eo summo dignitatis gradu quadragesimũ, intercedente morte, nõ excesserit diẽ. Cuius morte indoluerunt omnes, persuasi nimirùm, superstite illo Pontifice, vel christianã religionẽ, vel Romanã libertatem, vix labefactari posse.

Gregorius Quartus P. M. Cap. LXXXXVII.

VOcatur per id tẽpus ad Christi oues Gregorius quartus, clarissimis parentibus Romanis ortus: vir quippè doctrina & sanctitate insignis. Pontificatu proindè suscepto, mox corpus Beati Gregorii aliò transtulit, ubi nũc iacet. Cuius sepulchrum magnis condecorauit ornamentis. Ferunt, ab eodem Pontifice Sebastiani & Tyburcii corpora è cœmiteriis, in quibus iacebãt, ad Basilicam diui Petri translata. Ad hæc, rogatu Ludouici Impe-

ratoris, † omnium sanctorum celebritatem 199
Kalendis Nouembris habendam, instituit. Quam sanè celebritatem Galli primùm, & Germani obseruare dein cœperũt. Post multa verò eius bona opera moritur anno sui Pontificatus decimo sexto.

Sergius Secundus P. M.
Cap. LXXXXVIII.

IN Sergium patria Romanum, & eius nominis secundum, Gregorio defuncto, omnium conuenerè suffragia, illumq; Romanæ præfecerunt Ecclesiæ. Is anteà os porci vocabatur: Sed honestatis caussa, immutauit nomẽ, & Sergius deinceps voluit appellari. † Vt 200
indè mutandi nominis posthac in electo Põtifice consuetudo fluxisse videatur. Licet autem ea nominis mutatio in Diuo Petro cœperit, dicente Christo, Simon, vocaberis Petrus: tamen vsq; ad hunc Sergium non legitur seruata in Pontificibus reliquis. Hic ergò Sergius illustri familia natus à maioribus suis nequaquàm degenerauit. Iuuerunt autem præclarum eius ingenium, sub quibus vixit Pontificibus, Leo tertius, Stephanus quartus, Eugenius secundus, & Gregorius quartus: cui ut succederet, dignus dein habitus est. Sergius itaq; inito Pontificatu, ad ornanda templa conuersus, Basilicam sancto-

rũ Syluestri,& Martini, vetustate collapsam, restituit:in eaq; multa sanctorũ corpora collocauit. Struxit à fundamentis ad ipsius Basilicæ latus in honorem sanctorũ Petri,& Pauli monasterium,vbi res diuina iugiter haberetur. Romani insuper tyrannicæ immanitatis cùm Saracenorum, tum aliorum, metu, eius precibus liberati, sanctissimum Pontificem verum Christi Vicarium, & vnicum patriæ

201 Parentem,prædicabant.† Ad hunc Sergium Lotharius Imperator Ludouicum eius filium primogenitum,quem ad Imperii regimen destinarat, Romam misit. A quo nempè Sergio Ludouicus diademate regio, & sacra vnctione, donatur,& Rex Italiæ simul decernitur. Demùm re ecclesiastica benè atq; syncerè administrata, tertio Pontificatus anno moritur.

Chroni. Norimbergica fol.171. in ipso Ludouico Nauclerus uol. 2. sub initiũ 29. generationis:Reliquiq; Germani.

Leo Quartus, P. M.
Cap. LXXXXIX.

SVccessit Sergio Leo Quartus,ciuis Romanus: Vir in omni eius vita, etiam priuata, religione, innocentia, pietate, humanitate, gratia, liberalitate,doctrina ecclesiastica, planè insignis. Cuius præclara facinora si ad vnguem omnia præscriberentur, iusti voluminis modum longè excederent.Hoc loco prætermittendum non est, quod in Angliæ An-

202 nalibus memoriæ proditum est: † Inam nem

pè Regem Angliæ circiter annũ salutis 740. Inter reliqua eius pietatis opera, regnum suũ Apostolicæ sedi Romanæ & Diuo Petro tributarium fecisse. Lege etenim publicè sanciuit, vt singuli argẽtei nummi, quos denarios sancti Petri vulgò vocant, pro singulis quibusq; regni domibus (pietatis, ac religionis ergò) Romano Pontifici quotannis penderentur. Fecit idem non multo post tempore Offa Rex, Inæ successor, anno Christi 775. sicuti loco superiore in Hadriano primo tradidimus. Rursùm & anno Domini 847. Etheluolphus eiusdem Insulæ laudatissimus Rex, quem alii Athulphum vocant, quum esset incursionibus & rapinis Dacorum tandem liberatus, ad hunc sanctissimum Pontificem, Leonem Quartum, vnà cum filio Alfredo, Romam, voti causa, profectus est, Inæq;, & Offæ, Regum, antecessorum suorum, pia sequutus vestigia, lege sanxit, vt illud Angliæ Regnum Diuo Petro & sanctæ Romanæ sedi perpetuò vectigale esset: tributumq; annuatim in ipso Apostolorũ Petri & Pauli die festo, uel summum ad vincula Petri Romano Pontifici deberet solui. Id quod deinceps posteà vsq; ad annum salutis 1534. persolutum Romanæ Ecclesiæ iugiter fuit. Posteà verò quàm anno salutis 1533. Henricus octauus Anglorũ tyrannus potius, quàm Rex, adulterio & impietate

In anglicæ historiæ lib. 4. Naucler uol. 2. generatione 29. fol. 649. Lupoldus cap. 7. Vbi alios rerũ scriptores ãtiquissimos ad hoc allegat. Et Chron. Norimber. fol. 170. in ipso Athulpho Rege. Habetur ĩ c. ea quæ ex. de censibus. Meminit Innocẽ. in c. fin. ex. de postul. prælato.

pietate insignis hæreticus (notissima recensq; historia est) sese polluit, & Catherinam Reginam, Caroli quinti Imperatoris Materterã, post annos amplius viginti, quàm ei nupserat, & carnali copula eã cognouerat, indignè repudiauit, Annamq; Boleniam pellicem pro vxore (contra decernente Clemente septimo, Pontifice Maximo) habuit, solenniq; Pompa Londini regia corona donauit, & supremum se caput Aglicanæ Ecclesiæ sequenti anno in conciliabulo parlamenti Vuestmonasterii palàm pronunciauit, monachos proscripsit, & obedientiam Christi vicario, Papæ Romano, subtraxit, tributum Romanæ sedi non est so-
203 lutum. † Tunc ergò primùm cessarunt Angli pẽdere tributum Romanæ sedi, quod antehac annis plus minus octingentis (pietatis, voti, & conuentionis, caussa) annuatim iugiter exoluerant: quum Henricus ille non pietate, non religione, non paupertate, nón vlla alia necessitate ductus, sed nefanda Veneris libidine, & auaricia, percitus, fidem, vota, sacras totius regni leges, violauit. Sed Leonem
204 ex Germanis repetamus. † Feruntq; huius sanctissimi viri orationibus, Saracenos Italica præda onustos naufragio diuinitus periisse. Liberatus ergò saracenorum metu Leo, sedilia in vestibulo atrii Lateranensis ex marmore construxit. Hunc tantæ sanctitatis fuisse con-

ſtat, vt Baſiliſcum, ſerpentem nocentiſsimũ, qui & Regulus dicitur, ſuis ad Deum precibus, è Fornice ſanctæ Luciæ Virginis in Orphea depulerit. Cuius veneno atq; halitu mortalium plurimi Romæ anteà perierant. Incendium, quod Romæ diu per domos Saxonum & Longobardorum fuerat debacchatum, Baſilicam Diui Petri iam iam accedens, ſigno crucis, extinxit. Hoc autem factum eſt octauo poſt Beatæ virginis aſſumptionẽ die: qui dies poſteà in memoriã, vt feſtus, eſt celebratus. Vrbis Mœnia inſtaurauit, & portas vetuſtate atritas reſtituit. Quindecim Turres, Vrbis propugnacula, à fundamentis ædificauit. Suo Studio & diligentia corpora ſanctorũ Quatuor fuerè reperta: quorum templum ſplendidius, quàm anteà, conſtruxit: & ipſos ſanctos ſub altari collocauit: quibus & alia multa ſanctorum corpora etiam addidit. Intereà Saracenos magna inſtructos claſſe aduerſus Neapolitanos, atq; Romanos aduentare, nunciatur. Tùm optimus Põtifex Oſtiã ilicò, quanta potuit militum manu, profectus, ſuos primùm ad ſanctam Sinaxim cohortatus, orationem ad Deum huiuſmodi habuit. † Deus, cuius dextera Beatum Petrum 205
ambulantẽ in fluctibus, nẽ mergeretur, erexit, & coapoſtolum eius Paulum tercio naufragãtem de profundo Pelagi liberauit: exau-

ad nos propitius & concede, ut amborum meritis, horum fidelium tuorum brachia, contra inimicos Ecclesiæ tuæ sanctæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur, & conualescant, vt de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus gloriosum appareat. His dictis, & facta, crucis signo, pugnandi copia, hostes post lõgũ vtrinq; certamen superantur, fuganturq;. Indè Romam Pontifex cũ gaudio reuersus, Vaticanum mœniis cinxit, Leoninamq; Vrbẽ de suo nomine appellauit: nè hostium rapinis, & incursionibus ecclesia Diui Petri exposita deinceps foret. Hanc autem Leoninam Vrbem primo sui Pontificatus anno cœptam, sexto demùm absoluit. Ex Manubiis verò deuictorũ saracenorum plura in vrbe restituit. Priore quàm moreretur anno hîc sanctissi-
206 mus Pontifex, † Lotharius Imperator timuit sibi admodùm, propter quorundam delationes, nè Leo à Gallis in Græciam eo tempore iterùm transferret Imperium. Quarè Romã è vestigio ad Papam veniens se de obiectis coram Leone purgauit. Postremò Pontifex de Ecclesia Dei, deq; Vrbe Roma, ac nomine Christiano meritus, obit Anno sui regiminis nono. Sepelitur in Basilica sancti Petri.

Naucler. uol 2. generat. 29 fol. 649. necnon & alii plures.

Ioannes

Ioannes Octauus P. M.
Cap. C.

HOc loco post Leonem nonnulli interſerunt Ioannem octauum, fœminam: nonnulli verò eius nullam prorſus (indiciũ quaſi aliorum figmenti) mentionem faciunt: aliqui fabuloſum illud (quod verius eſſe ipſe quoq; existimo) & temerarium commẽtum eſſe adfirmant. Porrò aiunt primi Anglicam fœminam ſexum mentitam, malis artibus, ad Pontificatum perueniſſe. Cùm enim liberalibus diſciplinis imbuta ab amatore docto egregiè eſſet, Romam proficiſcitur, vbi pares, aut nullos, aut certè paucos, in ſacris quoq; literis reperit. Enimuerò, docendo, ac diſputando tantum beneuolentiæ, atq; auctoritatis, ſibi comparauit, vt Leoni defuncto in Pontificatu ſuccederet. Verùm poſteà à familiari cõpræſſa, in vtero prolem cõcœperit: & cùm ad Lateranẽſem Baſilicam ſemel iret, intra theatrum, quod colloſſeum vocant, & ſanctũ Clementem, doloribus circunuenta pepererit: eoq; in loco fuerit mortua, & ſine vllo honore ſepulta, poſteà quàm biennio inſignia Põtificia geſsiſſet.

Relata hæc fabella, quæ veri ſpeciem nullã habet, ſi vera fuiſſet: | vtiq; peccata populi id 207
totum effeciſſent. Inquit enim Diuus Chri-

ſoſtomus

sostomus in Homelia prima, De verbis Esaiæ, Vidi Dominum, &c. si non rectè se habent Reipublicæ negocia, si ab his periculum ingens prominet: incogitantia principum non est caussa, sed nostra (scilicet populorum) iniustitia, pœna est pro nostris scæleribus exacta; illa miscuerunt cuncta sursum atq; deorsum; illa, quicquid est calamitatum, inuexerunt; illa armarunt hostes: illa fecerunt, ut victi discederemus: nec aliundè nobis malorum examen inundauit, quàm ex hac caussa. Proindè quamuis Abraham aliquis esset, qui imperaret, quamuis Moses, quãuis Dauid, quãuis Salomon ille sapiẽtissimus, quãuis è cõtra omniũ hominum flagitiosissimus: si nos malè viuimus, nihil interest, qualis ille sit, quantũ ad causam malorũ. Quoniam si transgressor legum fuerit: si temerè, nulloq; consilio feratur, nostra incogitantia, nostraq; temeritas talem genuit principem: nostra cõmissa plagam accersiuerunt. Nàm quòd, iuxta corda nostra mala, accipimus principes; nihil aliud est, nisi quòd præterita peccata nostra talem nobis dederè præfectum, siuè fuerit ex cõsecratis, siuè ex eorum numero, qui mundanas administrant dignitates, & reliquã. Quibus Chrisostomi monitis probè conuenit, quod alibi legitur: facit Deus regnare hominẽ hypocritã propter peccata populi, Iob 34. Quid

igitur attinet, hæc & alia id genus monstra in principibus malis, siue Regibus nephariis, mirari: si nos ipsi doloris nostri caussa simus? Ad historiam nullius Papissæ redeo.

Alii autem grauissimi rerum scriptores (quemadmodum Regino, Otto Phrisingensis, & Vrspergensis, qui omnes illis pene temporibus claruerunt) nullã omninò huius figmenti faciunt mentionem. † Enimuerò Luitprandus, illorum temporum scriptor, refert, 208
Theodoram, Alberti principis Ethruriæ locupletissimi, in cuius manu, ac potestate Rauenna quoq; Bononia, & Roma, fuerunt, scortum fuisse: quæ cum nobile scortum ipsa esset, atq; imperiosum, Romæ dominabatur: ac Ioannem octauum natione Anglum Bononiensibus primò Episcopũ, deindè Rauennatibus, postremò Romanis imposuit, Primatiũq; sacerdotē fecit. Indè curiosi rerum antiquarum scriptores haud quaquam insulsè tradũt, fabellam ortam, quæ illis temporibus temerè vulgarit, Ioannē Pontificem, fœminã fuisse, quod totus de ore & nutu Theodoræ fœminæ pēderet. Quibus & ego planè subscribo.

Benedictus Tertius P. M.

Cap. C I.

BEnedicto Tertio, ciui Romano, summa Christi Ecclesiæ in terris cura, post Ioannem

nem, demandatur. Is ob vitæ eius sanctitatē, Benedictus meritò est appellatus. Sub Gregorio nāq; militans, subdiaconatus gradum ab ipso accepit: atq; sic deinceps uixit, ut qui tanto muneri præesset, dignus habitus sit. In hunc proindè omnes, tanquàm in vnicum & benignissimum sydus, à Deo in terras demissum, in electione conuenerunt. Qui lachrymas non continens, Deum atq; sanctos testatus, se, tàm sublimi sedi qui præficeretur, planè indignum. Enimuerò cunctis acclamantibus, & electionem de ipso factam collaudantibus, Pontificium munus obire, vel inuitus deniq; cogitur. In atrium igitur lateranense deductus, in Sede Petri collocatur. Indè equo albo insidens ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad præsepe venit: vbi triduum ieiunijs & orationibus Deum humiliter rogauit, ut sibi cōmissam ecclesiam sanctè & syncerè liceret regere. Quidam tamen Rhodoaldi Portuensis Episcopi factionem sequuti, Benedicto huic Anastasium, à Leone prius deiectum, præferre fuerant conati. Verùm in se Anastasius cum suæ factionis reliquis rediens, admissi væniam petiit, & virum sanctissimū cum omnibus de more adorauit. Illud idem fecerē Ludouici Imperatoris legati, ad confirmandam Cleri populiq; Romani electionem eò missi. Fuit quippè Benedictus animo &

corpore mirè mãſuetus, & venerabilis: ac propterea cùm in magiſtratu, tùm in priuata vita, omnibus planè charus. Multa tēpla vetuſtate iā iā caſura reſtituit. Ea, quæ animo & verbis inſtituit, re ipſa quoq; ē exequutus. Sacerdotum funeribus ſemper interfuit: ægrotos inuiſit: pauperes aluit: calamitatibus oppreſſos iuuit: pupillos & viduas acerrimè defēdit. Quamobrē his virtutibus ſanctiſsimam cōtinēter vitã ducēs Chriſto moritur, anno eius ſedis tertio. Cuius corpus ante fores Eccleſiæ ſancti Petri ex illius præcepto ſepultum fuit.

Nicolaus Primus P. M.
Cap. CII.

CONſequitur in ordine ſummi Sacerdotii Benedictū Nicolaus & ipſe Romanus; qui ab ineunte ætate fuit ſanctè educatus. Is ſubdiaconus primùm à Sergio, mox Diaconus à Leone creatus eſt. Cui demùm graue non fuit, defuncti Benedicti corpus manibus propriis & multis lachrimis in tumulo condere. Super hūc itaq; abſentē, inuitū, ac renitentē, poſt multas cleri populiq; Romani preces & vigilias, in Baſilica S. Dionyſii eligētium omniū vota diuinitus ceciderè. Cōquiſitū proindè in Vaticano, quo fugerat, & inuentū, perducunt in Laterani Atrium, vbi in ſolio collocarunt Apoſtolico: Deindè in Baſilicam Diui

Petri adductū cōsecrarunt, pontificiaq; corona de more ornarunt. Hic multa cū Ludouico Imperatore, qui tùm Romæ aderat, cùm ad Pontificatū, tùm ad Imperium, spectantia contulit. Cui posteà Michael Theophili Constantinopolitani principis filius legatos cum muneribus Romam misit. Nō neglexit sanè Nicolaus Pontificiæ sedis dignitatem: utpotè qui Ioannem Archiepiscopum Rauennatem, propter obiecta crimina, ad Apostolicam sedem vocatum, & venire detrectantē, dignitate priuauit: licet eundem posteà resipiscentem in gratiam receperit. Solutus tandem Pontifex variis molestiis, ecclesiam Dei genitricis, quæ prius antiqua, nunc verò no-
209 ua vocatur, extruxit. † Bulgarorum Regē cū vniuersa eius ditiōe ad fidē Christi literis suis, tribus doctissimis viris eò missis, & sanis admonitionibus cōuertit: quibus Episcopos & præsbyteros etiā dedit, eiecto Phocio, cuius fraude Bulgari oēs in tenebris & vmbra mortis volutabāt. Eandē nauauit operam (si Regi noni credimus) successor Nicolai Hadrianus secundus: qui gentē hanc ferocissimam, atq; bellicosam ab Idolis & gentilium superstitionibus ad Christum penitus retraxit, & ablutam salutari baptismatis vnda, ad sanctam Ecclesiam, post Nicolaum, & ipse quoq; perduxit. Cuiusmodi rei fidem faciunt non modò

Norimbergica

Norimbergica Chronica, verùm & Regino (vt dixi) sub annis Christi 868. atq; Nauclerus. Pacem præterea inter Ludouicum Imperatorem & Beneuentanum Ducem Nicolaus composuit. Postmodùm, eodem Ludouico præsente, plurima vtiliter instituit, quæ in iuris Canonici libris, omnibus prostant. Ad hæc Pontifex iste memorabilis nõ tulit ineptias Lotharii regis, fratris nempè Ludouici secũdi Imperatoris. Qui quidem Lotharius, cõtra diuinas humanasq; leges, dimissa Theoberga vxore legitima, Galdradam pellicem (ceu iustam vxorem) habere totis viribus & multis dolis studebat. Porrò Nicolaus acriter restitit nequitiæ hominis, & in viam, à qua longè lateq; aberrauerat, perditam ouem adducere omnibus neruis, modò lenioribus modò sæuerioribus verbis strenuè cõtendit. Proindè Galdradam pellicem, & Guntheri Archiepiscopi Coloniensis sororem periurã, ac improbam fœminam, anathemate notauit: Theogaldum Archimistem Treuirensem & ipsum Guntherum Coloniensem auctores, fautores, & in patrato scælere defensores Lotharii Regis, excommunicauit, omniq; dignitate priuauit. Plures ea de re literas admodùm graues indignabundus Nicolaus & ipsi Lothario, & Carolo Regi, patruo eiusdẽ Lotharii, atq; etiã Galliæ, Italiæ, Germaniæq; episcopis

Volu. 2. genera. 29. fol. 661.

c. Pracipuè 11. q. 3. c. Quæ Lotharius Rex. c. Scelus, quod Lotarius Rex. 2. q. 1.

scopis

ſcopis ſcripſit. Præclariſsimorum autem facinorum ſanctiſsimi huius Pontificis Nicolai, cùm in hac Lotharii regis cauſa, tùm in reliquis, ſumma cum eius laude hiſtoriam texuerè ad vnguē Regino, ſub annis Domini 864. *Vol.2. generat. 29. fol. 650. 651.*
210 865. 866. & Nauclerus. † Quinimò Otto Phriſingēſis adfirmat, ipſum Regem Lotharium à Nicolao Pontifice, ob hanc nimirùm adulterii & fornicationis cauſſam, fuiſſe identidem excommunicatum : idq; ipſum obiter tradit Nauclerus in loco iam annotato ſub *Lib.6.cap.3.*
211 fol. 652. † Vetuit acriter idem optimus Pontifex Imperatoribus, & quibuſcunq; aliis ſæcularis poteſtatis hominibus, intereſſe conuentibus clericorum: niſi vbi de vniuerſali fide, quæ omnibus communis eſt, & ad omnes tàm clericos, quàm laycos, pertinet, inibi tra- *c. Vbi nam legiſtis 96. diſtinct.*
212 ctetur. † Sic proindè ſuccenſuit etiam iuſtiſſimè Auguſtis, qui Pontificum Romanorũ
213 electionibus ſeſe vellent immiſcere: † pulchreq; docuit Ludouicum ſecundum Imperatorem, verenda Sacerdotum non eſſe prodenda. Nouiſsimè omni virtutum genere illuſtratus, annó ſui Pontificatus decimo beatiſsimè Chriſto obdormiuit. Cuius corpus, exemplo prædeceſſoris, antè fores Baſilicæ Diui Petri voluit ſepeliri. *c. Inſcripturis. 96. diſtinct.*

Hadrianus

Hadrianus Secundus P. M.
Cap. CIII.

SVbrogarũt Nicolao Hadrianum Romani,
eorum ciuem: qui Sergio Pontifici fami-
liaris olim fuit: vir quippè optimus, in pau-
peresq; munificus admodùm & liberalis. Hac
itaq; & multis aliis virtutibus Hadrianus præ-
ditus magno apud omnes in precio fuit: ut
quũ de Pontifice creando mentio fieret, cer-
tatim omnes Romani vnum illum (quamuis
nolentem) ad id muneris deligerent. † Quo 214
ad Ludouicum secundum Imperatorem per
lato nuncio, nouos Legatos Romam Cæsar
confestim misit: per quos electionem eiusce-
modi (quòd summum Pontificem Romani
syncerè creassent, non expectato aliorum suf-
fragio) vehementer probauit. Certò enim
constat, in electione Hadriani nullam Impe-
ratoris rationem fuisse tùm habitã: sed absq;
scitu aut consilio legatorum ipsius Ludouici
Imperatoris, Romæ existentium, à Clero po-
puloq; Romano Hadrianum Papam, ac Põ-
tificem Maximum, consultò fuisse renuncia-
tum. Id quod Cæsar ipse literis posteà ad Vr-
bem missis vehementer laudauit, in hanc pro-
pè sententiam scribens: Romanos laude ma-
gna esse dignos: qui Pontificem sanctè, ac
syncerè, aliorũ voto non expectato, creassent:

ſiquidem ad Romanos, qui mores & vitam ſuorum, quibus cum familiariter vixerũt, exploratos habeant, illud eligendi Põtificẽ munus maximè pertineret: non item ad extraneos, qui ob ignorantiã fortè parũm idoneos perfacilè eligerẽt. Quì enim fieri poteſt (Cæſar inquit) ut peregrinus & hoſpes in aliena Republica dignoſcere poſſit, quis nàm potiſſimum cæteris ſit præferendus? Vt hinc planè conſtet (licet aliàs quoq;) bonos & Chriſtianos Imperatores non decere, manus quoquomodò ad comitia ſummorum Pontificũ Romanorum, vel auctoritatem, apponere:

Nauclerus uol. 2. generat. 29. fol. 652.

215 †Ideoq; is ipſe Hadrianus omnibus cuiuſcũq; ordinis & dignitatis principibus laycis ſub anathematis pœna præcepit, nè ſummorum Pontificum, vel quorũcunq; aliorum Epiſcoporum electioni (ut potè rei ad ipſos minimè gentium pertinenti) vlla ratione ſeſe poſthac ingerere deberent. Illud idem Laycis omnibus ſeuerè prohibitum, æquè fuit in octaua

c. Nullus laycorum. c. Hadrianus Papa ſecundus 63. diſtinct. Naucler in loco & folio memoratis.

216 Synodo Conſtantinopolitana: † quæ auctoritate eiuſdem Hadriani ſecundi, imperante Baſilio, Cõſtãtinopoli habita fuit. Is autẽ ſummus præſul in eccleſia Dei cõſtitutus cuncta, quæ ad honorem Dei & cultum pertinebant, ſtudioſè circunſpexit: exemplo, verbis, auctoritate maiorum, & ſua, vnumquemq; ad benè beateq; viuendum cohortatus. Circunuẽ-

tos iudicio, aut potentia, acerrimè est tutatus. Suo nutu habita est Constantinopoli Synodus, qua Photius, vir seditiosus, est pulsus. Ignacius verò anteà per iniuriam eiectus, tũc restitutus. A' Bulgaris rogatus, virum uita & eruditione insignem, qui in fide labentes retineret, eò misit: tametsi Bulgari à Constantinopolitanis corrupti, latinos demùm eiecerint sacerdotes, & græcos receperint. Insignis hîc Pontifex Anno salutis 872. Aluredum rerum Anglicarum potitum, & Romã dein profectum, corona regia cohonestatum, Regem Anglis dedit. Vocauit quoq; Romã per literas Lotharium Regẽ, Imperatoris Ludouici fratrem, adulterio & fornicatione (sicuti paulò ante in vita Nicolai memorauimus) infamem. Qui sanè Lotharius Anno Christi 869. Hadrianum Romam accedens perhumaniter à Pontifice exceptus atq; interrogatus est, nùm monita pii patris Domini Nicolai hactenus obseruasset, & præstitũ iusiurandum custodisset? Is respondit, se omnia ita obseruasse, ac si diuinitus sibi imperata fuissent. Cuius responsionẽ proceres & optimates, qui cum eo venerant, esse veram testati sunt omnes. Tunc Hadrianus: si vestris verbis veritas suffragatur, gratias omnipotẽti Deo multiplices cum iubilo agimus. Reliquum igitur est, charissime fili, vt ad confes-

In Anglica historia lib. 5.

ſionem ſancti Petri accedas, vbi, Deo propitio, hoſtiam ſalutarem non tàm pro corporis, quàm animæ tuæ, incolumitate immolabimus: cuius participem te nobiſcũ eſſe oportet: ut per hanc participationem membris Chriſti, à quo abſciſſus eſſe videbaris, inſeri rursùm, merearis. Peractis proindè Miſſarũ ſolennibus, inuitat ſummus Pontifex eundẽ Regem ad Chriſti menſam: ſuſceptaq; manibus Euchariſtia Domini ſic regẽ alloquitur: ſi innoxium te agnoſcis ab adulterii ſcælere, interdicto tibi & prohibito per Nicolaum, & immota mente ſtatuiſti, omnibus diebus vitæ tuæ à neſario cõcubitũ Galdradæ pellicis, dudùm à te repudiatæ, abſtinere, fidenter accede, & ſacramentum ſalutis æternæ, ad remiſsionem peccatorum tibi profuturum ſume: ſin autem conſcientia tua te accuſat, & ad vomitum redire animo voluis, ſacroſanctam Euchariſtiam ſumere nequaquàm audeas: nè fortè ad iudicium & condemnationem tibi eueniat, quod ad remedium fidelibus parauit diuina Maieſtas. Cæterùm Lotharius Rex, inquinato corde, & obſtinato animo, ſumpſit de manu Põtificis ſacratiſsimã cõmunionẽ, non expaueſcens illud: horribile eſſe incidere in manus Dei viuentis: & iterum illud: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Deindè Pontifex ad

reliquos Regis optimates conuersus, vnicuiq; sacram obtulit Euchariſtiam dicens: Si Domino ac Regi tuo Lothario in obiecto adulterii crimine fautorem non præſtitiſti, neq; cōſenſum præbuiſti, & Galdradæ, ac aliis, ab hac Apſtolica ſede excommunicatis, nō communicaſti, corpus Domini noſtri IESV Chriſti proſit tibi in vitam æternam. † Enimuerò eorum, qui ſub tali conteſtatione oblatam ſumpſerunt indignè Euchariſtiam, nemo vltra an- 217
nū diuino notatus iudicio ſuperſtes fuit: perpauci tamen, qui ſe à communione ſubtraxerunt, mortis periculum ægrè vitarunt. Lotharius autem, qui Hoſtiam ſacratiſsimā indignè mādacauerat, Romā abiens letali morbo correptus, Placentiæ demùm animam efflauit. Poſtremò Hadrianus cunctis Eccleſiæ hoſtibus ſeſe (quo ad fieri poterat) obiiciens, & defuncto Imperatore Ludouico, cùm iā Carolū filium inuncturus in Imperatorem eſſet moritur Pontificatus ſui anno ſexto.

Regino ſub annis 869. Vrſpergenſ. in annis Ludouici 2. fol. 195 Otto Phriſingē. lib. ..ca. 4 Nauclerus uol. 2. generatiōe 29. fol. 652.

Ioānes Octauus, qui nonus dici debuit, P. M. Cap. CIIII.

IOannes Octauus, qui nonus dici debuit, ciuis Romanus, præficitur hoc tēpore Romanæ ſedi. † Is initio ſui Pontificatus Carolum 218
ſecundum, cognomento Caluum, Romæ imperatoriā corona donauit. Verùm poſteà

dissensionibus(ut fit) ciuilibus exortis, à Ro-
manis Pontifex in vincula conijcitur de qui-
bus haud multo post, iuuantibus amicis, fu-
ga clapsus, ad Ludouicum cognomento Bal-
bum in Franciam profugit. Vbi annum im-
moratus ipsum Ludouicum in Regem vnxit:
& controuersias quasdam inter ecclesiasticos
219 ortas sustulit. † Inde verò abiens apud Trecas
ciuitatem, concilium habuit: in quo multa ad
fidem pertinentia fuerè instituta: & Flandrē-
sibus, qui tùm primùm, nemoribus desertis,
ciuiliores cultioresùe esse cœperant, Episco-
220 pus est datus. † Præterà Ioannes Cōstantino-
politanam octauam Synodum 383. patrum ha
buit: cui per Legatos suos, Petrum præsbyte-
rum Cardinalem, Paulum Anchonitanum
Episcopum, & Eugenium Episcopum Ostiē-
sem: ipse præfuit. At cùm à saracenis diripe-
retur Italia, & Montis Casisini Monasteriū iam
esset occupatum, atq; direptum; Ioannes Ro
mam adscitus Agarenos, iuuantibus Christia-
221 nis principibus, Italia ac Sicilia expulit. † Al-
terum autem Carolum cognomento Grosū
(quò sibi in vrbe tutius viuere liceret) Impe-
ratoria corona (defuncto Carolo secūdo) or-
nauit: tertiusq; Imperator Carolus est appel-
latus. Constituit quippè inter cætera Pōtifex,
si sacerdos aut laycus homicidium patraret:
irregularis ille perpetuò haberetur. Vir sanè
fuit

c. Temporis qualitas. in fin. 7. q. prima.

fuit hic Pontifex latinè & græcè doctissimus, ut è græco in latinum septimam vniuersalem Synodum,† Hierarchiam Dionisii Ariopagitæ, & vitas plurium sanctorum patrum (Caroli Imperatoris gratia) in latinum eleganter & doctè verterit. Cùm verò in Pontificatu annos decẽ trãsegisset: animam Deo reddidit. 222

Martinus secundus, Hadrianus tertius, Stephanus quintus } PPP. MMM.
Cap. CV.

MArtinus secundus, genere Gallus, Pontificatum non iustis (ut fertur) mediis adeptus, anno tantùm vno, & mensibus quinq; fuit superstes: nihil memoria dignum interea gerens.

Huic Hadrianus Tertius, ciuis Romanus, in ordine successit.† Qui tanta animi virtute 223 præditus fuit, ut initio suscepti muneris Pontificii non dubitarit, ad clerum (interposito decreto) Senatũ, Populumq; Romanum, referre, nè in creando posthac Pontifice, Imperatoris expectaretur auctoritas. De hoc Pontifice Hadriano clerus populusq; Romanus, ob viri virtutem & animi magnitudinẽ, haud modicam animo spem conceperat. Verùm morte post annum primum & mensem secũdum præpropera sublatus, magnũ sui omnibus collachrimantibus desiderium reliquit.

Ad

Ad Stephanum Quintum, patria Romanum, summa rei Christianæ post Hadrianum peruenit. Hic donec vixit, magnis semper Normanorum, qui Galliam passim populabantur, Hunnorum, & Italorum molestiis, fuit continenter affectus. Recreabatur veruntamen mirificè illustrium tunc sanctorum virorum consuetudine: Luitprandi nimirùm Ticinensis Ecclesiæ Diaconi, Vdalrici Bauari, & Berhardi Pictauensis Episcopi. Quorũ vita & moribus Christi fides aucta apud Gallos plurimùm fuit. Moritur demùm Stephanus Anno sui regiminis sexto.

Formosus, Bonifacius sextus, Stephanus sextus, Romanus, Theodorus secundus, Ioannes nonus, aut verius decimus.

PPPPPP. MMMMMM.

Cap. CVI.

Formosus nomine, Pontificatum per hæc tempora iniit. Hic Portuensis Episcopus, aliquandò Ioannis Pontificis sæueritatem veritus, in Galliam profugit. Reuocatus Romã, & redire abnuens, anathemate percutitur. Romam igitur coactus veniens, omni dignitate ecclesiastica & habitu simul priuatur. Creditur enim iratus illi Pontifex Ioannes propterea fuisse, quòd cõiurationis in ipsum Põtificem à Romanis pridem factæ Formo-

ſus non fuerit expers. Hac proindè contumelia notatus Formoſus ab Vrbe diſceſsit, iureiurando adfirmans, ſe nunquàm poſthac vel ad vrbem, vel ad epiſcopatum reuerſurum. Enimuerò Martinus, ſucceſſor Ioannis, Formoſum poſteà ad vrbem reuocat, & priſtinæ reſtituit dignitati. † Qui non longo poſt 224
tempore ſedem Diui Petri nactus, Arnulphū in Imperatorem promouit, & ædem diui Petri ſimplici pictura decorauit. Deniq; Pontificatus ſui anno ſexto moritur.

Hunc Bonifacius ſextus conſequitur, natione Hetruſcus. Sed quantum vixerit in ſummo gradu poſitus, inter ſcriptores vehemens eſt concertatio. In eam tamen opinionē plures iuerunt, ut diebus ſex & viginti Pontificē egerit: quem mors intēpeſta ocius eripuerit.

Adſcribitur poſt hunc Pontificum ordini Stephanus, eius nominis ſextus, ciuis Romanus, & Anagninus Epiſcopus. Qui Formoſi nomen & geſta non probauit. Moritur demùm anno ſui Magiſtratus ſecundo.

Succeſsit Stephano Romanus Papa. Cui nulla ambitione, aut largitione, ſed ſyncerè, munus Pontificium fuit delatum. Veruntamen Stephani prædeceſſoris acta dicitur improbaſſe. Moritur autem menſe tertio initi Pontificatus.

Theodorus ſecundus, Patria Romanus,

Pontifex creatus, Formosi antecessoris acta restituit: illiusq; sectatores in honore habuit. Vigesimum vix attigit in suo Pontificatu diē.

Theodoro Ioannes nonus, aut verius, decimus, Romanus subrogatur. Qui formosi causam, ceu bonā, fuit amplexus. Qua ex re dissensio in vrbe aliqua suboriri visa est. Quare Ioannes Rauennam profectus conuentum illic habuit: & Stephani rebus non subscripsit: Formosi verò gestis accessit. Moritur anno Pontificatus secundo.

Benedictus Quartus P. M.
Cap. CVII.

BEnedicti Quarti, ciuis Romani, laus præcipua fuit, quòd in sæculis & moribus corruptissimis vitam ipse honestissimam constātissimè vixit: ab humanitate, & clemētia, haud mediocrem sanè consecutus etiam laudem. Anno sui regiminis quarto è uiuis excessit.

Leo 5. Christophorus, Sergius Tertius } PPP. MMM.
Cap. CVIII.

LEo quintus, cuius patriam historici ignorarunt. Vir quippè bonus: sed qui suorum inuidiam euadere nō potuerit. Capitur enim quadragesimo sui pontificatus die à Christophoro familiari suo, in vinculaq; coniicitur.

Qui dolore animi haud longo post tempore interiit.

Christophorus, cuius patria & familia nescitur, vi & fraude, Petri sedem occupans, contraria ui post mensem fermè septimum indè pulsus, monastico induitur habitu. Tandem illinc à Sergio eius successore retractus publicæ custodiæ & vinculis mãcipatur: Neq; multo post in arctiorem adhuc carcerem cõiectus, miserè animam exalauit.

Sergius tertius, patria Romanus, Pontifex creatus, Basilicam Lateranensem, quæ tũ corruerat, restituit: Christophorum Monasterio eductum in carcerem & vincula arctiora (vti paulò ante retuli) coniecit. Hic quũ ageret olim Diaconum, Formoso (ne fieret Pontifex) ac eius factioni vehementer restitit. Pontificatum itaq; Formoso obtinente, Sergius in Galliam profugit. Cæterùm posteà Sergius ad Pontificatum euectus, Formosi gesta creditur improbasse. Obiit vero anno sui regiminis octauo.

Anastasius Tertius P. M.

Cap. C.I.X.

ANastasius tertius Sergium tertium in ordine Pontificum Romanorum cõsequitur: Vir planè bonus: Qui in Pontificatu modestè & syncerè vixit: nihilq; in eo fuit, quod

iure repræhendi potuerit. Laudandus quoq; hac vna re cùmprimis, quòd neminem suorum in Pontificatu prædecessorum ignominia, aut maledicentia notauerit. Moritur deniq; anno Pontificatus secundo.

Landus, Ioannes decimus, aut uerius xi.
Leo sextus, Stephanus septimus,
PPPP. MMMM.
Cap. CX.

LAndus Papa, patria Romanus, Anastasio successit: Cuius vita obscurior fuit, quàm vt historici eam norint. Huius tamen Pontificis auctoritate inter Berengarium & Rudol-
225 phum pugna non est sequuta. † Certabant etenim hoc sæculo Itali, Galli, & Germani inuicem pro Imperio: Vna etenim quæq; natio in Imperii illius cura plubēs aliis fuisset prælata. Fertur tamen Berengarium, eius nominis primum, Italiæ regem ab ipso Lando Pontifice Imperii corona præ cæteris decoratū. Qui demùm Pontifex sexto regiminis mense è rebus excessit humanis.

Chron. Norimb. fol. 176. in ipso Berengario, ac alii deniq; testantur historici.

Ioannes decimus vel vndecimus potius, Landum subsequitur, patria Romanus. Qui anteà Rauennas Archiepiscopus dùm esset, populari tumultu è sede fuerat eiectus. Is militares in Pōtificatu spiritus gesit. Indigebat enim tùm ecclesia huiusmodi Pontifice: qui

qui Saracenorum impetus, Italiam multis in locis diripientium, ui atq; armis, auxilio Alberici hetruriæ Marchionis, cohiberet: ab vrbisq; finibus submoueret. Romam dein Pōtifex in modum triumphi ouans ingressus, odium Alberici in se concitauit. Sed Albericus Roma ob id exactus, Hungaros in Italiam acciuit. Qui plus calamitatum Italiæ intulere, quàm antehac vnquàm saraceni. Verùm Ioannes militari seditione Guidonis comitis captus, & in vincula coniectus, ceruicali in os iniecto, necatur, Anno Pontificatus initi xiii.

Post Ioannem excepit ritè Leonem sextū Romana sedes: Virum omninò bonum: qui nihil tyrannicum in omni eius vita præsetulerit. Vitā modestia præditus innoxiam duxit: Rei diuinæ cōsuluit: Ciues inuicem dissidentes ad cōcordiam reuocare studuit: Res Italiæ componere est nisus: Externum hostem placare, & Barbaros ab Italiæ ceruicibus pellere curauit. Sed interim octauo suscepti muneris Pontificii mense humanis eripitur rebus.

Stephanus septimus, ciuis Romanus, ad Ecclesiæ curam vocatus, magna mansuetudine & religione biennium ecclesiæ Dei præfuit.

Ioannes vndecimus, sed uerius xii. P. M. Cap. CXI.

IOānes vndecimus, aut verius duodecimus, ciuis

ciuis Romanus, p id tẽpus Ecclesiæ præfuit,
226 †quo sanguinis fons Genuæ largissimè scaturiuit: Futuræ nimirùm Italiæ à Saracenis, & Húgaris (sicuti euenit) magnæ calamitatis indicium. Ioannes verò anno sui Pontificatus quinto moritur.

Leo Septimus, Stephanus VIII. } PP. MM.

Cap. CXII.

AD Leonem septimum Romanum Ecclesiæ cura post Ioannem deuenit. Qui quũ remissus esset, nihil magnoperè eximiũ egit. Magno veruntamen animo atq; pietate Episcopos Bauariæ commonefecit officii sui; & Ducem illius prouinciæ cum Mystis omnibus propter eorum lapsus, grauiter increpuit. Vt nullo æuo intermisisse Romanos Pontifices curam Germaniæ, & Ecclesiarum eius, passim prorsus constet. Decessit autem è viuis Leo anno Pontificatus tertio.

Leoni Stephanus octauus, natione Germanus, in Pontificio munere successit. Verùm à Romanis seditionibus agitatus, nihil memoria dignum peregit. Quinimò corpore adeò sæuè mutilatus fuit, ut propter cicatricum deformitatem, in publicum prodire, vix ausus sit. Moritur demùm anno suscepti Põtficatus plus minus quarto.

Martinus

Martinus Tertius P. M.
Cap. CXIII.

MArtino huius nominis tertio, ciui Romano, mansuetiſsimo viro, Eccleſiæ Dei regimen, per hæc tempora, committitur. Pōtificatum etenim aſſumens bellorum calamitatibus valedixit: religioni omne eius ſtudiū impendit: templa vetuſtate collapſa reſtituit: pauperes eleemoſinis pauit. Inter Ottonem Saxonem adnitentem Italiæ occupare fines, & Lotharium, cruentæ cùm patrārentur cædes, & fame interim vbiq; gentium laboraretur, intercesſit Pontifex: & ſua hortatione Reges ab armis diſcedere ad pacis ſtudia coegit. Qui et vitam cum morte anno ſuæ adminiſtrationis quarto commutauit.

Agapitus Secundus P. M.
Cap. CXIIII.

AGapitus ſecundus Martino defuncto, Ciuis Romanus, ſubrogatur: Vir quippè innocens, & Reipublicæ Chriſtianæ ſingulariter ſtudioſus. Qui Ottonem Germanorum Regem aduerſus Berēgarium quartum, omnia ſibi contra ius faſq; armis vendicantem, in Italiam euocauit. Rebus demùm Italiæ haud malè compoſitis, moritur ſumma cum laude Agapitus anno Pontificatus eius decimo.

Ioannes duodecimus, verius, Decimus tertius P. M. Ca. CXV.

IOannes Duodecimus, verius, Decimus tercius, Roma oriundus, patris potentia ad summum Pontificatus apicem euehitur. Is vitam (ut quidam per errorem fortè tradunt historici, quibus fidẽ vel in hoc minimè gentium habendam existimo) Pontifice indignã duxisse fertur: utpotè qui neq; venationibus, neq; etiam concubinis abstinuerit. Proindè è Cardinalium senatu Diaconi duo indignitate rei moti Ottonem Germanorum Regem literis rogarint, ut clerum populũq; Romanum de Berengarii, Ioannisq; Papæ manibus vindicaret: alioquî fidem Christi cum Imperio perituram, testati fuerint. Qua re Ioanni patefacta (ut homo irarum impotens) ex memoratis Diaconis naso vnum, manu alterum, mulctauerit: Ottonem deniq; Romam profectũ perhonorificè susceperit, Imperialiq; corona donauerit: sicq; tũ primùm ad Germanos trãslatum fuerit Romanum Imperium. Verùm Cæsar Ioãnẽ clàm admonẽs, ut à lapsu sibi deinceps tẽperaret, nihil profecerit. Tandẽ Ioãnes Imperatoris minas, atq; iudicium, reformidans in nemoribus & auiis aliquandiu latuerit: sed in vrbem dein reuersus, & usq; ad vltimum eius vitæ spiritum nunquàm nõ sui

similis,

ſimilis,haud multo poſt in crimine depræhẽſus mortem obierit, anno Pontificatus illius nono,menſe tertio,die quinto. Sedes tùm vacarit dies xii. Verùm enimuerò non fuiſſe Ioannem hunc duodecimum,verius autem decimumtertium,vita & moribus talem, qualẽ hiſtoricorum nonnulli perperam depingũt, *Lib.6.cap.23.* teſtatur Otto Phriſingenſis: Vrſpergenſis quoq; in vita & annis Ottonis primi, dùm ſæpius iſtius Ioannis facit mentionem,illum nequaquàm diſcolum fuiſſe narrat. Quòd mihi veriſimile omninò videtur. Porrò ipſe Ioannes initio(ſicuti omnes tradunt hiſtorici) Ottonem Regem ex Germania in Italiam aduerſus immaniſsimam Berengarii Tyrannidem & direptiones, per legatos (ceu pius Italiæ parens, ſeduluſq; Eccleſiæ Paſtor) euocauit:iuramentum fidei & obſeruantiæ ab ipſo Ottone Rege, priuſquàm Imperio eũ præficeret, iuſtiſsimè, iuxtà & grauiter exegit. Iurauit proindè Otto Romam tùm primùm veniens Ioanni Papæ in hanc planè formulam.

Tibi Domino Ioanni Papæ ego Otto Rex promittere & iurare facio per partem, Filiũ, & Spiritũ ſanctum,& per lignum hoc viuificæ crucis, & per has reliquias ſanctorum, quòd ſi permittente dominò, Romam venero,ſanctam Romanã Eccleſiã, & te Rectorẽ ipſius, exaltabo,ſecundum poſſe meum, & vitã,aut

membra, vel ipsum honorem, quem habes, nunquàm mea voluntate aut meo consilio, vel meo consensu, aut mea exhortatione, perdes: & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te aut ad Romanos pertinent: & huiusmodi reliqua. quod & omnes ita iuramẽtum præstitũ fuisse adfirmant historici: & ante Gracianum Anselmus episcopus Lucensis nominatim tradit lib. primo, cap. 90. & Cencius Camerarius in libro priuilegiorum, necnon & Deusdedit in suis collectaneis id ipsum planè testantur. Nõ ergò, inquam, verisimile est, Ottonem Regẽ huic Ioanni Papæ tantam iureiurando promisisse immunitatem, si ipsum Ioannem malum fuisse & repræhensibilem, vel saltem suspectum de crimine aliquo, animaduertisset. Et quamuis potentia forsan patris Ioannes ad Petri sedẽ euectus fuerit: Attamen fuit posteà à cunctis pro vero & legittimo Põtifice agni-

c. Tibi Domino Ioáni. 63. distin.

227 tus, probatus, atq; habitus. † Propterea quoq; vti iustus & verus diui Petri successor Romanum Imperium, quod in Longobardorũ Regum familia, in personam Berengarii primi, Landus Papa pridem anteà posuerat, ipse Ioãnes ad germanos in personam Ottonis primi Regis transtulit: eumq; Romæ Imperiali diademate ornauit: sicuti in Chronicis Norimbergensium legitur, necnon & in Ottone

Lib.6.cap.22. Phrisingensi, in Reginone sub annis Domini 962. in Vrspergensi in vita Ottonis primi sub finem: & rursus in annis eiusdem Ottonis: ac *Vol.2. genera. 33.* in Nauclero. Id quod & apud reliquos historiæ scriptores est videre. Ad hæc, Ioannes iste Pontifex non solùm Romæ excepit Ottonẽ honorificentissimè, Imperialiq; corona, & vnctione (ut dixi) muniuit, sed etiã his erga Ottonem maximis non contentus beneficiis, ipsius Ottonis primi filium Ottonem, triennio post, Romæ in solẽni natalis Domini die, præsente patre, corona Germanici Regni perhumaniter insigniuit, sicuti Vrspergensis in ambobus jam memoratis locis memoriæ prodi- *Lib.6.cap.24.* dit. Idem commemorat Otto Phrisingensis, Aliiq; scriptores Germanici.

Cæterùm arbitror, q̃ hîc Otto, posteàq̃ summos Imperii esset consequutus honores, & de Berengarii debellati triumpho spiritus hausisset elatiores cupiens adhuc (vti humanæ ambitionis immensum est pelagus) sacras Hierarchiæ moderare habenas, alium Romæ Põtificẽ, manu sua factum (deposito Ioanne) habere instituit. Idcircò Protoscriniarium quẽdam Ecclesiæ Lateranensis, sibi familiarem, cui Leoni octauo nomen indidit, viuo Ioanne, cupidas eiusdem Ottonis manus & iniusta arma fugiente, Pontificem, ausu certè magno, designauit. Simulq; scandalum in Ecclesia Dei nõ perhorruit.

perhorruit. Vixit ergò propter Ottonicas sibi clades illatas Ioannes in erumnis & doloribus multis vsq; ad annum sui pontificatus penè decimum: & obdormiuit in domino.

Benedictus Quintus P. M.
Cap. CXVI.

BEnedictum quintum, ciuem Romanum, in seditione Pōtificem Romani (defuncto Ioanne) creant. Cùm enim prius fuisset Leo (viuente adhuc Ioanne) constitutus ab Ottone Pontifex: Romani posteà Benedictum in sede Petri locarunt. Ea res, vbi Ottoni perspecta fuit, aduersus Romanos ipsum protinus excitauit. Quos tāta obsidione, depopulationibus, & fame præssit, ut Benedictum (suscepto Leone) ipsi Ottoni traderent. Quem Otto in Germaniam rediens secum abduxit: ad Hamburgumq; oppidum relegauit. vbi paucos post menses diem functus est. Vixit in sede menses sex, dies quinq;.

Leo Octauus P. M.
Cap. CXVII.

LEo octauus, Lateranensis Ecclesiæ prothoscriniarius fauore, ui, atq; potentia, Ottonis (Ioanne verò Pontifice deposito, & in exilium, ut dictum est, acto) ante Benedictū quintum eligitur in Pontificem, & ab Ottone in

Petri ſede conſtituitur. Sed à Romanis de ſede poſteà pulſus, Ottonem Cæſarẽ, qui tùm Spoleti fortè morabatur, adiit, de illata vi atq; iniuria grauiter queſtus. Leonem vi & armis reſtituit ſedi Imperator. † Enimuerò reſtitu- 228
tus auctoritatem omnem (quantum in ipſo fuit) eligendi Romanum Pontificem à clero populoq; Romano ad Imperatorem ſua quadam conſtitutione tranſtulit. Qui quidem à die reſtitutionis, uix tertio menſe ſuperſtes, obiit ſuæ perturbationis anno primo, menſe quarto.

Ioãnes verè decimus quartus, licet aliàs xiii. P. M. Cap. CXVIII.

IOanni Decimo quarto, Narnienſi Epiſcopo, patria Romano, poſt Leonem Pontificatus defertur. Quem Petrus Vrbis præfectus inteſtino odio perſequitur. Accerſito.n. Iofredo Campaniæ comite, armatis pluribus munito, Põtificem in Lateranenſi æde cœpit, inq; Hadriani molem cuſtoditum perducit. Qui dein pro Iofredi libidine in Campaniam abductus aliquandiu illic detinetur. Verùm interfecto, huius impietatis gratia, per Ioannem Capuæ Principem, Iofredo, & vnà ſecum filio, qui illi vnicus fuit, Pontifex vndecimo ſui exilii menſe Romam rediit. Quò

& Cæsar ipse, defendendi Pontificem causa, veniens de præfecto & sociis supplicium sumpsit. Ioannes autem sexto sui Pontificatus anno, mense vndecimo, die quinto, moritur. Sedes Romana tum dies xiii. vacat.

Benedictus sextus P. M.
Cap. CXVIIII.

AD Benedictum sextum, ciuem Romanũ, Sedes Petri & Calamitates Ioannis proximè defuncti, deuoluuntur. Porrò Cincius præpotens Romanus Benedictum in sancti Angeli arcem custodiæ tradidit: vbi non multo post strangulari, vel vt alii ferunt, fame necari, iussit: sicq; miserè Benedictus periit, Anno nempè sui Pontificatus primo & mense sexto.

Donus secundus P. M.
Cap. CXX.

DOni secundi, hominis Roma oriundi, Pontificatus circiter hæc tempora fuit. Laudatur hic à modestia & animi integritate. Qui etsi nihil magnoperè egregium in suo pontificatu gesserit: omnium tamen voluntatem sic demeruerit, ut nullam à quoquàm sibi irrogatã senserit ignominiam. Obiit anno primo sui Pontificatus. Biduo sedes tum vacat.

Bonifacius

Bonifacius Septimus.
Cap. CXXI.

BOnifacius ſeptimus, cuius patria & genus ignoratur, ob generis ignobilitatem, terræ filius dici potuit. Is haud optimis artibus Pontificatum adeptus, malè etiam in ſeditione periiſſe fertur, menſe ſeptimo, die quinto ſui Pontificatus. Vacat tùm ſedes dies xx.

Benedictus Septimus P. M.
Cap. CXXII.

BEnedictus ſeptimus, ciuis Romanus, inito Pontificatu, † Synodum Rhemenſem cō- 229
feſtim celebrat: ubi Gilbertum, hominem ſeditioſum & nigromanticum, damnat: Arnulphum Epiſcopum, ab eodem Gilberto pridē
pulſum, reſtituit. † Ottonem ſecundum cum 230
Vxore illius Theophania in æde Lateranenſi (annuente Ottone patre) Imperatoria corona donat. Vir ſanè pius. Vitam finiuit anno ſui Pontificatus octauo, menſe ſexto. Sedes tùm vacat dies quinq;.

Joannes Decimus quintus, licet aliàs
Decimus quartus P. M.
Cap. CXXIII.

IOanni decimo quinto, licet aliàs decimo quarto, Roma patria fuit, vel ut alii referūt,

Papia.

Papia. Qui mēse sui Pontificatus tertio à Romanis in carcerē coniectus mœrore, inedia, & fœtore deniq; post mēsem octauū interiit.

Ioannes decimus sextus, licet aliàs
Decimus quintus P. M.
Cap. CXXIIII.

IOannes decimus sextus, aliàs decimus quintus, patria fuit Romanus. Qui mutuas simultates cum clero iugiter exercuit: ob id & ipsis clericis inuisus. Insimulatur hic Ioannes profusæ largitionis factæ de bonis Ecclesiæ cognatis & affinibus suis. Sic deniq; rapax, & nihilominus sitiens, moritur mense octauo sui Pontificatus.

Ioannes decimus septimus, alias decimus sextus P. M.
Cap. CXXV.

IOannes Ioanni succeßsit in Pontificatu. Roma illi patria fuit. Vir multæ eruditionis & elegantiæ floruit, ut multa cum lepore ædiderit sui nominis monimenta. Vexatus tamen à Crescentio Consule Romano, Vrbis Imperium sibi vendicare conante, hominis cupiditati cedens in Hetruriam seceßsit. Cæterùm Crescentius Pontificis animum læsum sentiens, veritus ne Ottonem tertium Romā, eius rei gratia, accerseret, per amicos & propinquos.

pinquos ipsius Pontificis animum demulcet, ac placat: in vrbemq́; inito constantis reuerētiæ & obedientiæ fœdere, reuocat. Vbi post annum sui Pontificatus decimum, mensem sextum, die decimo, in tranquillitate & honesto ocio diem clausit extremum. Vacat tum Sedes dies sex.

Gregorius quintus P. M.
Cap. CXXVI.

GRegorio quinto, natione Saxonico, cui anteà Brunoni nomen fuit, post Ioannem munus Pontificium, fauore & promotione Ottonis tertij, cui sanguine iūctus erat, defertur. At Gregorius Crescētii Cōsulis vexationibus agitatus, in Hetruriam primùm, dein in Germaniam ad Ottonem suum profugit. Intereà, absente Gregorio, Crescētius Cōsul pro ea, qua maxima Romæ pollebat, auctoritate, Ioannē Placentinum Episcopum è Græcia oriundum, pecuniis affluentem, & eruditione insignem, Pontificem suo arbitratu cōstituit. Verùm Otto Romam multo instructus milite veniens, & Crescētio spem veniæ faciens, eundem Crescentium de arce quasi securum egredientem, multis confossum vulneribus, interficit, & Ioannem, oculis prius effossis, necat: Gregorium verò vndecimo mense, quo fuerat eiectus, sedi restituit. †Re- 231
stitutus

stitutus proindè Gregorius sanctionẽ de eligendo à solis Germanis deinceps Imperatore (instigante nimirùm Ottone, quem & Imperiali corona Romæ insigniuit) primus omniũ tulit. Causam verò huius latæ constitutionis illã historici Germani fermè omnes tradunt:
231 vt ipse Gregorius, qui paulò ante fuerat à Romanis vrbe eiectus, acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem sumeret: Ottoniq; tertio consaguineo, ac Germanis ea in re gratificaretur. Et quamuis nonnulli adfirment, sibi liquere, illos principes, quos Imperii electores hodiè vocamus, post fata demùm Friderici secundi à Gregorio decimo (non autẽ, à Gregorio quinto) institutos fuisse. Quorũ fabellam ambabus vlnis, variisq; ad rem, sed leuibus, compositis argumẽtis, suscipiunt recentiores quidã, non indiligentes alioquì rerum scriptores Itali, dùm de comitiis Impe-
232 ratoriis plurima congerunt: † Attamen mihi ex testimonio Innoçẽtii tertii, Pontificis Maximi, plusquàm certò liquet, Principes hoscè electores Germanos, multò ante ipsum Innocentium tertium, qui annis plus minus quinquaginta ante Gregoriũ decimum, & Fridericum secundum Romanæ sedi præfuit, institutos à Romana sede fuisse. Proindè Ioannes Nauclerus in loco nuper memorato, sub fol. 675. scribit: in monumentis ecclesiæ Aqui-

Chron. Norimbergen. fol. 182. 186. Naucle. volum. 2 gener. 34. atq; alii Germani.

In c. Venerabilé. ex. de electio.

leiensis reperiri, huiusmodi electorum Germaniæ institutionem sub anno Domini 1002. circiter Syluestri Põtificis, qui Gregorio quinto succesit, tempora fuisse factam. Hũc spe-
Cap. 7. ctat, quod Lupoldus Bebenburgius, rerum Germanicarum scriptor antiquus, memoriæ prodidit: † Principes Germanos, quibus à 233
Romana sede potestas est eligendi Regẽ Romanorum ad Imperium promouendum, cõsueuisse ante tempus, cujus initii memoria apud homines non sit; decretum per eos de Rege factæ electionis, Romano Põtifici (examinandum scilicet & approbandum) protinus mittere. Vt ex his oppidò constet, contrariæ opinionis historicos longè lateq; à recta vel in hoc aberrasse. Ad Gregorium redeo. Qui vixit in Pontificatu annos duos, & menses circiter quinq;. Vacauit eo tempore sedes diebus quindecim.

Syluester Secundus P. M.
Cap. CXXVIII.

SYluester secundus, anteà Gilbertus, natione Gallus, post Gregorium sedem Petri occupat. Ferũt enim de hoc, quòd cùm Adolescens ageret Monachum in Floriacensi Cœnobio, Aurelianæ diœcesis, deserto monasterio, Hispalim Hispaniæ Ciuitatem, bonarum artium causa, fuerit profectus. Quo in loco

CC tantùm

tantùm profecerit, ut optimus præceptor ex discipulo & magus breui euaserit. Porrò Ottoni tertio Imperatori in adolescentia, ac aliis præceptor fuit. Indè dominandi cupiditate percitus, Rhemensem Archiepiscopatũ, dein Rauennatensem adeptus, postremò Pontificatum maiore conatu malis artibus sit consequutus. In quo biennium vixerit. Non veriorem ego sanè de Syluestro isto, viro doctissimo, & insigni Philosopho, fabellam, quàm de Ioanne Anglico, exortam à maleuolis fuisse crediderim. Porrò etsi ex maleuolis quidam magna alioquin debacchandi in summos Põtifices Romanos scurrilitate vtantur: attamen hunc Syluestrum secundum & Philosophum insignem, et mathematicũ præclarum fuisse prædicant: magum verò illum, aut diabolicũ, extitisse ex vetustissimis scilicet rerum scriptoribus vel inuiti pernegant. Præter hos Albertus Krancius quoq; rerum antiquarum callentissimus fabulam hanc & comentum esse de hoc Syluestro, quòd magus, vel diabolicus fuerit, ex veterum testimonio planè affirmat.

Ioannes 18. Ioannes 19. Sergius 4. Benedictus 8. PPPP. MMMM.
Cap. CXXVIII.

IOannes Decimus octauus Syluestro in Ordine Potificum successit. Cuius patriã, atq;

gentiliciũ nomen nouit nemo. Is post quartum mensem die xx. moritur.

Cui defuncto Ioannem decimumnonum patria Romanum subrogarunt. Qui anno sui Pontificatus quarto, & mēse identidem quarto moritur.

Post hunc Ioannem cura Dominici gregis Sergio quarto, ciui Romano, committitur: Viro nempè sanctitate, moribus, & pietate insigni. Qui obiit anno Pontificatus secundo, & die xv.

Consequitur Sergiũ Benedictus octauus, Tusculano oriundus. † Is Henricum Bauarũ, 234
tunc primùm electum, Imperiali corona ornauit: & cathedralem Ecclesiam Bambergēsem ipsemet præsens (ad præces eiusdē Henrici) Diuis Petro & Gregorio dedicauit: atq; vndecimo Pontificatus anno è viuis excessit.

Ioannes vigesimus P. M. Cap. CXXIX.

SVbstituitur Benedicto Ioannes vigesimus, ciuis Romanus: vir quippè probus, mireq; laudatus. † Qui in solenni die paschatis corona Imperii Cunradum & Giselam eius coniugem Romæ insigniuit. Dein mors tum post annum administrationis suæ vndecimũ sustulit. 235

Benedictus nonus, Syluester tertius, Gregorius sextus PPP.

Cap. CXXX.

BEnedictus nonus, patria Tusculanus, Ioānem in summo Pontificatu est subsequutus. Sed Romani hominem fastidientes (ut fertur) ineptum, illo eiecto, Ioannem quendam Sabinensem Episcopum, cui Syluestro tertio nomen inditum voluerunt, in sede Pōtificem statuerunt. Cæterùm Syluestro post nonum & quadragesimum diem è sede pulso, Benedictum iidem Romani iterùm restituerunt. Enimuerò Benedictus veritus, nè Ludibria eiuscemodi obeunda illi sæpius forent: Ioanni cuipiam Archidiacono, qui Gregorius sextus posteà dici voluit, Ponficatum cessit. Hos veruntamen tres, conuocata Synodo, magistratu motos fuisse constat: Clemente, vt mox dicetur, in Pontificatu suffecto. Adfirmant tamen pleriq; historicorū, Gregorium sextum non malum fuisse, neq; rem Christianam malè administrasse. Sedit autem in Schismate annis duobus, & mensibus septem.

*

Clemens

Clemens secundus
Damasus secundus. } P P.

Cap. CXXXI.

CLemens secundus Bambergensis Ecclesiæ Episcopum agebat, Syndegerus anteà vocatus, quum Henrici secundi iussu coguntur vel nolentes Romani illum, congregatà ad id Synodo, Pontificem habere. Sub hoc Pontifice, † qui Imperatoria Laurea Henricum illum insigniuit, † coegit ipse Henricus 236 Romanos iurare, Pôtificum electioni se postbac nequaquàm interfuturos, nisi Imperatoris iussu id facere cogerentur. Hic Pontifex post nonū, quo fuerat electus, mensem obiit. Successit Clementi Damasus secundus, natione Bauarus. Qui posteàquàm Clementē secundum (ut ferunt) è medio sustulit, Pontificatū obtinuit. Sed periit Damasus post tres & viginti dies occupatæ sedis.

Leo nonus P. M.
Cap. CXXXII.

LEonem nonum, genere Alemanum, anteà Brunonem, Episcopum Tullensem, Damaso secundo defuncto, Henricus secundus Romanæ sedi elegit. Cùm igitur Pontifex ab Henrico sic designatus, ex Germania Romā Pôtificio habitu proficisceretur: obuiam fortè habuit

tè habuit Abbatem Cluniacensem, & Hyldebrandum Monachum Saona, Hetruriæ oppido, oriundum: qui auctores electo Pontifici fuerunt: vt deposito Papali palludamento, reliquoq; ornatu Pontificio, Romam peregrino habitu, donec à Clero populoq; Romano in Pontificem summum legitimè eli-
238 geretur, veniret.† Quàmobrem sanis auscultans suasionibus, spreta Henrici de se facta electione, indumenta Papalia Leo confestim abiicit: & Romam veniens in Pontificē Maximum, cui & Leoni nono fuit nomē inditū, à clero populoq; Romano canonicè assumitur. Hîc Leo fuit vir magna pietate, innocētia vitæ, & plurimis animi dotibus, affatim prædictus: ut Domus eius peregrinis & pauperibus, nunquàm nō patuerit: & semel etiam leprosum quēdam ante fores suas dùm offendisset, iusserit, in lecto suo eū collocari: licet posteà leprosus manè quæsitus, nusquàm fuerit repertus: Christum.n. pauperis loco recubuisse, creditum est. Obiit Sanctus Pōtifex die sexto tertii mēsis post annū suæ dignitatis quintū.

Victor secundus P. M.
Cap. CXXXIII.

LEoni nono succeßit Victor secundus, natione Bauarus, & Eyexstetensis Ecclesiæ Episcopus. Qui Henrici secundi gratia potius,

tius, quàm liberis cleri populiq; Romani suf-
fragiis, ad munus illud Pōtificium peruenit:
Verebantur enim clerus populusq; Roma-
nus Henrici potentiam: ideoq; Hyldebran-
dum, huius rei causa, legatum ad Cæsarem
mittunt, & hunc Victorem ipsi Cæsari pro
Pontifice vt proponat, iniungunt. Qui sanè
Hyldebrandus omnia ex sententia cùm Ro-
mani Cleri, tùm Cæsaris, confecit. † Vndè 239
Victor in sede Petri omnium cōsensu confir-
matus magnam Florentiæ & frequentem Sy-
nodum, renitente eodem Henrico, habuit:
in qua multos Episcopos simoniæ, non pau-
cos fornicationis, damnauit. Clerum quoq;
proposita transgressoribus pœna, monuit, ut
quod sui maximè officii esset, sedulò omnes
præstarent. Hyldebrandum ad Henricũ Im-
peratorem ablegauit, eundem Henricum per
legatum rogaturus, nè quid à se iniustum
deinceps peteret. Quo planè tempore acci-
dit, ut Imperator graui morbo affectus obie-
rit. Ideoq; Hyldebrandus legatus defuncti
filium, Henricum tertium, Romano-
rum Regē atq; Cæsarem declaraue-
rit. Tandem Victor anno secun-
do, mense tertio, ac die de-
cimo quarto sui re-
giminis mori-
tur.

Stephanus

Stephanus nonus P. M.
Cap. CXXXIIII.

STephano nono, genere Lotharingo, Cassinensi Abbati, post victorem secundum, Pontificia defertur dignitas. Inito igitur Pō-
240 tificatu, animum ilicò adiecit, † vt Mediolanensis Ecclesia, quæ ducentos antehac fermè annos ecclesiæ Romanæ subiectionē, & obedientiam subtraxerat, eidē piæ Matri, ceu maiori cæteris, reuerenter subiiceretur. Qua re fœliciter peracta, Hyldebrandum Archidiaconum Cardinalem ad multa Italiæ, Burgundiæq; loca, labe simoniæ infecta, internunciū mittit: qui planè Hyldebrādus iniunctum munus accuratissimè ex sentētia Pontificis (sicut cætera omnia) confecit. Is Pontifex, qui inter bonos & sanguine nobilissimos adnumeratur (fuit.n. Ducis Lotharingiæ frater) opera Henrici secundi (sicuti Otto Phrisingensis testatur) ad summum euectus Pontificatum, cùm semel in corporis ægritudinem Romæ incidis-
241 set, ex qua se moriturum putabat: † Cardinales, Episcopos, & cuiuslibet ordinis clericos, ad se uocatos sacramento adegit, nè quemquàm posthac ad summum Pōtificatum admitterent, nisi communi patrum consensu ad
242 id muneris fuisset electus. † Dein Pontifex

Nauclerus uol. 2. generat. 36.

ipſe concilium Florentiæ dùm indicit, moritur octauo die noni menſis ſui regiminis.

Benedictus decimus Pótifex, Nicolaus ſecundus P. M. Cap. CXXXV.

BEnedictus decimus è Campania ſuum genus ducens, Velitrenſemq; Epiſcopũ agẽs per factionem patriciorum Romanorum, reclamantibus Cardinalibus & clericis, qui tùm Romæ aderant, ad Pontificatum irrepit. Cæterùm Hyldebrandus Archidiaconus Cardinalis, de quo aliter, ac de ſanctiſsimo & optimo viro, ſcribere, loqui, aut ſentire, religio quippè viris bonis ſemper fuit, fortiter fraudi reſtitit, & vnà cum Cardinalibus, ac ordinis Eccleſiaſtici reliquis Senas, ubi tutò iuſta Pótificis electio fieri poſſet, eſt profectus. Ipſo itaq; Hyldebrando auctore, Gherardus Epiſcopus Florentinus (Benedicto nono de Petri ſede poſt nonum menſem & xx. diem eiecto) natione Allobrogus, ob eius virtutem, atq; animi præſtantiam, Pontifex ſummus Senis deſignatur. Cui & Nicolao ſecũdo nomẽ imponitur. Is protinus Sutriũ conceſsit. † Vbi, 243
conuocato frequenti concilio ſub anno Domini 1059. Benedictum decimum habitu Pótificali, & magiſtratu ſe abdicare compulit. Indè Romam profectus, apud Lateranum, habito

244 bito rursus concilio, † sanctionem, de summo Pontifice à solis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eligendo, sapientissimè tulit. Id autem accidit sub anno humanæ salutis memorato 1059. Aprili mense, habita super hoc matura prius cum Reuerēdissimis Episcopis, ac reliquis sacerdotalis ordinis viris, deliberatione.

245 † Porrò, inquit ille, ex Beati etiam Leonis Papæ sententia, Inter episcopos non est vlla ratione censendus, qui à clericis non sit electus. Quàmobrem & saneram (ut debuit) Nicolaus constitutioni addidit aduersus eos, qui secus ea in re versati fuissent, cum sempiterna maledictione excommunicationem: uti in ea *In.c. In nomine domini nostri Iesu Christi. 23. distinctione.*

246 ipsa constitutione est videre. † In illo eodem Lateranensi Concilio Berengarius, Ecclesiæ Sācti Mauricii Andegauensis Diaconus, à pestilentissimo eius reuocatur errore. Eundem *c. Ego Berengarius. de consecr. distinct. 2.* Berengarii errorem damnauerat anteà in Cōcilio Vercellensi Leo nonus. Creditum quoq; est à plerisq; , hunc Nicolaum Imperiale Diadema Henrico Regi huius nominis quarto, Imperatori autem tercio, concessisse. Vir fuit Nicolaus in omni eius vita planè innocens & probatus. Diem functus est anno eius Pontificatus tertio, mense sexto, & die 26. Sedes Romana tum vacat dies xii.



Alexander secundus P. M.
Cap. CXXXVI.

ALexandrum secundum, genere Mediolanensem, dignitate verò Episcopum Lucẽsem, accersit absentem sacer ordo Romanus ad summum Pontificatus apicem, post obitum Nicolai secundi. Is plurima humanitate, doctrina, & benignitate Clarus, Luca tùm Romam Pontificio habitu venit. Verùm Cisalpini Episcopi putantes, eorum prouinciæ atq; ipsis id munus Pontificium deberi, ab Imperatore Henrico tertio (licet repugnante matre Augusta Agnete) impetrarunt, vt alterum ipsi Pontificem maximum eligere possent. Quarè inter ipsos Episcopos, inito conciliabulo, Cadolum Parmensem Episcopum in Antipapã eligunt. Cui dein Cisalpini omnes, præter Mathildim optimam fœminam, & cũ sacrosancta ecclesia Romana rectè sentientem, passim obtemperarunt. Cadolus ergò Romam multo armatus milite veniens, bis indè repellitur, viq; à bonis superatur. Henricus tandem Imperator ab errore resipiscens in gratiam redit cum Alexandro Pontifice. Qui post vndecimum summi Pontificatus annum, mense sexto Romæ moritur.

Gregorius septimus P. M.
Cap. CXXXVII.

GRegorius eius nominis septimus, patria Saonensi, in regione Hetruriæ sita, Hyldebrandus anteà vocatus, Monachus fuit. Cùm enim Alexandro secundo nuper defuncto solennia Clerus populusq; Romanus, funebri pompa, de more celebrarent: vna omnium acclamatio exorta continuò est: Hildebrandum Cardinalem Archidiaconum à beato Petro in summum Pontificem electum. Illis autem vocibus permoti Cardinales conclaue ingrediuntur, atq; eundem Pontificẽ maximũ designant: qui Gregorius septimus posteà est appellatus, anno nẽpe Christi 1073. Is annus erat duodeuigesimus Regni Henrici tertii, qui tunc et anteà nunquàm non grauissimo bello cũ Saxonibus fuit implicitus.

247 † Summè laudatur à Veteribus cunctis scriptoribus Germanis hîc Gregorius, utpotè is, qui certè fuerit Deo & hominibus gratissimus: prudẽs: iustus: Clemens: pauperum, pupillorum, ac viduarum patronus: qui, inquam, æmulatione Dei plenus ecclesiæ Romanæ res, & spiritalia, aduersus hæreticorũ improbitatem, & malorum principum potentiam insigniter, et

248 acerrimè defenderit. † Proindè ad Pontificium munus vocatus, Henricum tertiũ ilicò monet:

monet: nè deinceps pecunia atq; largitionibus corruptus, ecclesiastica beneficia, vel episcopatus, cuiquàm per simoniacam prauitatẽ concedat. Ob eam rem & Gregorius Oratores ad Henricum aliquãdò etiam misit significatum: si in Pontificatu confirmaretur, se nulla posthac ratione illius errores toleraturum. Igitur vel alium Pontificem eligi Henricus curaret, vel in viam redire cum iusta satisfactione sese pararet. Henricus, re bene deliberata, electioni de Gregorio factæ non potuit nõ consensum suum addere. Verùm nõ destitit à malefactis suis (Germani inquiunt) propterea Henricus. Interà verò Gregorius Bremensem Episcopum, peruicaciæ Henrici participem, & socium, per suos oratores excõmunicat: ac nõ multò post Hermanum Bambergensem, & quendam Constantiensem, episcopos, Romæ de simonia cõuictos, dignitate priuat. Post hæc solertissimus Dominici gregis Pastor Gregorius, adueniente quadragesimali ieiunio, †celebrat in Laterano Con- 249
cilium. In quo fuerunt præsentes Gibertus ille Rauennas Archiepiscopus, necnõ & magna Longobardiæ Episcoporum pars. Cæterùm optimis Cõcilii decretis, & sanis Gregorii admonitionibus Henricus, suadente illo Giberto, nihilomagis obtemperauit. Quinimò ipse Gibertus vir nequam & seditiosus, Cincium

Romanum,

Romanum, praefecti Vrbis filium, hominem sanè impium temerariumq; aduersus bonum Pastorem excitauit: vt in ipsa nocte Natalis Domini celebrantem sacra Missæ, vi cœperit, in turrimq; custoditum traxerit. Sed postera die Romani Gregorium è custodia retraxerũt: Cincium, qui ad Henricum tertium profugit, persequuti fuerunt: illius deniq; ædes diruerunt.
250 † His ergò malorum procellis pius Pastor iniq; vexatus, Henricum sæpius monitum, ac minimè gentium resipiscentem, de Imperiali solio, atq; Regali dignitate deiicit, anathemate vnà cũ Cincio & sociis eius percutit. At Henricus nunquàm non sui similis, coacto conuentu malorum Episcoporum, Gibertum illum Archiepiscouum Rauennatem pseudò Papam creat, Clementemq; nominat. Subindè Romam veniens cum pseudò Papa Henricus Gregorium in Hadriani mole obsidet. Sed Paulò post liberatur Gregorius à Roberto Apuliæ Duce: & liberatus cum ipso Roberto, relicta Roma, Casinum & Salernum proficiscitur. Vbi non longum post tempus, annò quippè sui Pontificatus xii. mense vno, diebus tribus, sanctè & piè moritur.
251 † Illius verò mortẽ, ceu Pastoris optimi, Otto Phrisingensis deplorans sic scribit: Ecclesia quoq; tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli, ac auctoritatis

Lib. 6 cap. 33. 36.

ritatis

ritatis erat ; orbata dolorem non modicum ſenſit:

Hūc ſpectat Epiſtola Vrbani ſecundi, Viri planè ſanctiſsimi, Alfano Archiepiſcopo Salernitano ſcripta, Decimo tertio Kal. Augusti Anno ſalutis 1099. Quā idē Vrbanus Gregorium prædefunctum magnificētiſsimis extollit laudibus. Eius epiſtolæ exemplum de Regiſtris Vrbani ſumptum tradidit mihi Romæ Guilielmus Sirletus Cardinalis, vir inſigni eruditione, pietate, eximiaq; probitate celeberrimus. Quā hoc loco, ut veritati teſtimonium perhiberet, fideliſsimè trāſcripſi.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto fratri Alfano Salernitano Archiepiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus canonicè promouendis in perpetuū: Singulare ſemper Sedis Apoſtolicæ priuilegium claruit, ſubiectas ſibi per orbem terrarum eccleſias, & auctoritate diſponere, & benignitate clementius cōfouere. Quibus autem ſupernæ Maieſtatis dignatio gratiæ ſuæ pleniorem contulit largitatem, ipſa etiam conſueuit excellentiorem contribuere dignitatem. Vndè non immeritò eſtimamus, Salernitanā eccleſiam amplioribus noſtræ benignitatis muneribus honorandam: quā omnipotēs Dominus eximia ſuæ donationis prærogatiua per miſericordiam gratuitam ſublimauit. Ex nouiſsimis namq; terrarum finibus

Beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi, clemẽtissima suæ dispositionis dignitate permisit. Cuius scilicet Apostoli quanta sit in Deo & ecclesia gloriæ excellentia, collatorum diuinitus munerum gratia cumulata demonstrat. Hîc enim primus inter cæteros Euangelii seriem scribere, inspiratiōe diuina, exorsus est. Hîc in diuini seminis fructu trium ordinum coronam cẽtesimam singulariter reportauit: vt simul Apostolus, & Euangelista, & Martyr, existeret. Adiecit ad hæc omnipotens Deus, ut eãdem ecclesiam gloriosorum martyrum, Fortunati, Gaii, & Anthes triumphis simul &
252 corporibus honoraret. † Apposuit etiam tertii muneris claritatem, ut eam nostris temporibus Gregorii, Apostolicæ memoriæ, septimi Papæ, tàm exilio, quâm tumulo illustraret. Cuius quàm egregia vita, quàm præclara doctrina, quàm miranda constantia fuerit, Romana Ecclesia prædicat, occidens vniuersus agnoscit, Tyrannorum pertinacia tolerata, & conculcata testatur. & reliqua.

253 † Albertus Krantius historicus grauis Germanus, de isto Gregorio septimo inter id genus huiusmodi alia sic peculiariter scribit: Multus illi labor erat cum Henrico iii. multiplex colluctatio; sed superauit veritas, & Iustitia, obtinuitq; Pontifex, &c.

Aliud exemplum summæ pietatis Gregorii, & summi erga cũctos, Saxones præsertim, Henricũq; tertium Imperatorem, amoris, in Archetypo Romano etiãnũm legitur. Eodem quippè anno, quo ad Petri sedem Gregorius fuit vocatus, quum omnia apud Germanos, maximè verò in Saxonia, circũsonarent bellis, replerentur homicidiis, igne consumerentur, stupris, latrociniis, sacrilegiisq; fœdarentur: (cruentum etenim ardebat per id tempus bellum inter Henricum & Saxones:) Gregorius magnos vltrò adhibuit conatus, quò gentem illam ad pacis studia cum Rege ipsorum reuocaret: quemadmodum subiectæ eiusdem Gregorii literæ ad vniuersos Saxoniæ Principes scriptæ satis superq; indicãt. Literarum tenor huiusmodi est.

Gregorius Episcopus, seruus seruorũ Dei, 254
Vuezelino Magdeburgensi Archiepiscopo, Burchardo Halberstetensi Episcopo, et Electori Marchioni, cæterisq; Saxoniæ Principibus, salutem & Apostolicã Benedictionem.

QVanta violentia, quantaq; fratrũ impulsione vniuersalis ecclesiæ multis perturbationũ fluctibus cõcussæ, & penè quasi quodam naufragio periclitatæ onus & regimen suscipere sum coactus, occultũ vobis, & inauditum esse non credimus. Testis enim mihi est conscientia mea, quàm imparem me tan-

to ponderi iudicauerim, & quanta solicitudine nomen apostolicæ dignitatis euitare concupiuerim. Sed quoniam via hominis non in manu eius, sed illius est dispositione, à quo gressus hominum dirigûtur, impossibile mihi fuit contra diuinam voluntatem concepta vota defendere. Vndè mihi sollicitè vigilādū, atq; pensandum est, qualiter ea, quæ ad profectum ecclesiasticæ religionis, & salutem Dominici gregis attinent, adiuuante Deo, annūciare, & fideliter administrare valeam: Vrgente me præ omnibus tum eo timore, nè susceptæ me apud supernum iudicem negligentia dispensationis accuset, tum debito amore Apostolorum principis: qui me ab infantia mea sub alis suis singulari quadam pietate nutriuit, & in gremio suæ clementiæ fouit. Verùm inter cæteras curarum anxietates ea nos maximè sollicitudo coarctat, quòd inter vos, & Henricum Regem, vestrum videlicet dominum, tātam discordiam & tàm inimica studia exorta esse cognouimus, ut exindè multa homicidia, incēdia, depredationes ecclesiarum & pauperum, ac miserabilē patriæ vastitatem fieri audiamus. Quā de re Regi misimus, exhortantes, & ex parte Apostolorum Petri & Pauli, eum admonentes, ut interim sese ab armis & omni bellorū infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica sede nun-

cios, dirigamus, qui tantæ dissensionis causas & diligenter inquirere, & annuente Deo, ad pacem & cōcordiā æqua valeant determinatiōe perducere. Atq; itidē vos exoratos, & apostolica auctoritate cōmonitos esse volumus, vt ex vestra parte, omni motione sopita, easdē pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione vobis, cum Dei adiutorio, astruendæ pacis impedimentum opponatis, cùm etenim (ut scitis) nobis mētiri, sacrilegum, deserere iustitiam, animæ sit naufragium: neminem vestrū dubitare volumus, quin super hac re, veritate discussa, quicquid æquum videbitur, prouidente Deo, decernere, & stabili pactione studeamus efficere: & quamcunq; partem iniurias, & conculcatæ iustitiæ violentiam pati cognouerimus, illi proculdubiò, omnī timore, & respectu personalis gratiæ post habito, fauorem, & Apostolicæ auctoritatis præsidia conferemus. Data Romæ xiiii. Kal. Ianuarii. Anno Domini 1075. Indictione duodecima.

Vt vel hinc etiam solùm quibus diuinis planē virtutibus fuerit præditus iste optimus Pōtifex, qui spiritu Dei illustratus, paci, & tranquillitati populorum vnicè studuerit, tota illa Saxoniæ plaga (etsi non reliquus orbis Christianus faceret, vti facit) testari facilè posset.



Victor

Victor tertius P. M.
Cap. CXXXVIII.

GRegorio septimo successit inuitus, ac planè renitens in Pontificatu Victor tertius, Montis Cassini anteà Abbas. Pontifex ergò Victor creatus partes Gregorii contra Antipapam Gibertum protinus(ut debuit)tutari cœpit. Quamobrem & Henricum tertium, inimicum sibi, eadem opera reddidit. Cuius etiã Henrici fraude(uti Germani Veteres ex Martino Scoto, viro in historia graui & docto, testantur)periit veneno Victor. Creditum etenim est, dùm sacra Missæ faceret Pontifex, venenum illi in calicem altaris immissum: ut indè mors sequuta fuerit. Licet Vincentius & ipse historicus senserit, Pontificem illum dissenteria fuisse sublatum. Cæterùm vtro modo obierit Victor: à suspitione veneni immunis nequaquàm fuit. Nanq; veneno petiti(si medicis credimus) corrosis et tabefactis intestinis, dissenteria plerumq; pereunt. Obiit proinde Victor post Annum sui Põtificatus primum, mense quarto.

Vrbanus secundus P. M.
Cap. CXXXIX.

VRbano secundo, prius Monacho, demùm Cardinali Ostiensi creato, munus Põtifi-

cium

cium post Victorē defertur. Vir quippè doctrina & sanctitate vitæ, quouis grandi honore, & gradu sublimi dignus. Is quum parùm fideret Romanis, noua indies (instigāte Henrico Imperatore) molientibus, in Gallias profecturus, † Placentiæ Synodum habuit: vbi 255
quorundam ecclesiasticorum petulātiā præclarè cohibuit. Indè verò Galliam petens rem memorabilem est aggressus: † si quidē apud 256
Clarummontem conuocato concilio, Galliæ principes ad recuperandam Hierosolimam, quam saraceni occupauerant, mirificè animauit. Porrò Vrbanus ipse, solenni atq; ornatissima cōcione habita, ad patres Concilii, & ad vniuersam, quæ tū ibi ex omni orbe Christiano aderat, multitudinem, omnibus adeò vtilem, & rei Christianæ pernecessariam expeditionem Hierosolimitanam persuasit: † Vt 257
millia virorum trecenta in album sacræ militiæ nomen illo tempore dederint, atq; Crucis signum, & profectionem simul Hierosolimā versùs susceperint. Quarè negotio hoc in Gallia ex sententia confecto, Romam repetens, quò & Italos ad bellū gloriosum hortaretur: omnia turbis & seditionibus plena offendit. Ob id non leuiter sibi à Ioanne quodam pagano, homine omnium scælestissimo, metuens, in domo Petrileonis potētissimi ciuis Romani pius Pontifex biennio fuit. Deniq;

niq; Ioanne è viuis sublato, ad componendum ecclesiæ statum animum Vrbanus adiecit: ac etiam Antipapam Gibertum inferis sua auctoritate semel deuouit. Postremò vir sanctus, multos labores patienter perpessus, & plurimis persecutionibus deuoratis, duodecimo eius regiminis anno, mēse quarto, die decimonono in Domo Petrileonis apud sanctum Nicolaum, Carceris Tulliani, quieuit in Domino.

Paschalis secundus P. M.
Cap. CXXXX.

PAschalis eius nominis secūdus, anteà Raynerus nūcupatus, genere Italus, Flaminia prouincia oriundus, initio Monachus, & ob ipsius doctrinam atq; virtutem à Gregorio septimo præsbyter sancti Clementis creatus, inuitus & latitans Vrbano substituitur. Aiebat enim ipsius humeros delato oneri impares futuros. Verùm petente populo, eligente
& collaudante, vnà cum cetu Cardinalium, Clero, Pontifex Maximus est designatus. Ternamq; in electione acclamatum est: sanctus Petrus Raynerum, virum optimum, Pontificē elegit. Tiara proindè capiti Paschalis imposita, comitante clero populoq; Romano, equo albo insidens ad Lateranum vehitur. Indè nimirum proficiscēs in Basilica Sancti Petri

tri Chrismate inungitur. Demùm in vrbẽ reuersus coronam de more suscepit. Paschalis igitur tranquillitati ecclesiæ consulturus copias suas in Antipapam Gibertum, hominem scæleratum mittit. Sed non multò post ille Gibertus morbo repentè correptus interiit. At non tùm quoq; malorum desiit finis. Richardus etenim Campaniæ Comes Albertum quendam, Attellanum Ciuem, Antipapam creat. Qui tamen statim à bonis viris abdicare se magistratu cogitur. Cauenses, agri prænestini incolæ, atrox Campani Comitis exẽplum imitati, Theodoricum quendam & ipsi pseudò papam sibi fecerũt. Cæterùm paulò post pœnitentia ducti, quinto & cẽtesimo die Pontificatu inani illum deiecerunt. Pacatis itaq; ad hunc modum ecclesiæ rebus, Paschalis, magno vir ingenio, ad arma conuersus, vrbem Castellanam & Beneuẽtum ab hostibus occupatas recuperat: atq; alia id genus præclara facinora strenuè gerit. Dein Galliã Cisalpinam petit: † quo in loco apud Guar- 258
dastallum, agri Cremonensis oppidum, plurima cũ fructu de Homagiis, ac feudis, in frequenti principum & episcoporum cõuentu, ab ipso sunt tractata. Romæ quoq; ecclesias numero quindecim consecrauit. † Vbi etiã 259
violata iurisiurandi religione, contra ius, fasq; diuinæ & humanæ legis, ab Henrico Quarto

quarto Cæsare captus, atq; direptus miserè
260 fuit. Sed.n. rebus cōpositis, † & Henrico per
Pontificē Imperii corona donato, in agrum
prænestinū venit: illicq; Agapiti Basilica dedi-
cata, Romā rediens populum Romanum, ho-
noris ergò, effusa multitudine obuiā habuit.
Ex qua populi frequentia in corporis incidit
ægritudinem: ut se non longo post tēpore ex
ea periturū cognosceret. Quocircà, acceptis
omnibus ecclesiæ sacramentis, cohortatus est
clerum ad pacem, atq; concordiā, in domino
sic obdormiens: Anno quidem sui Pontifica-
tus decimo octauo, mēse sexto, die septimo.

Gelasius secundus P. M. Cap. CXLI.

PAschalis secundi, piè defuncti, locum Ge-
lasius secundus, vno omnium cōsensu, fre-
quentibusq; suffragiis, meritò obtinet. Is nāq;
patria Gaietanus fuit, claro genere natus à te-
neris ingenuè educatus, primordia religionis
in Cassino mōte, sub præceptore Odrisio, loci
illius Abbate, viro sanctissimo, perdidicit. Ob
præclaras ipsius animi dotes ab Vrbano ii. Ro-
mā accitus fuit. Vir ille etsi sanctissimus quip-
pe, ac omni laude dignissimus fuerit, habi-
tusq; sit: attamē graues & immeritas psecutio-
nes cū à Cincio Pregepane, Romano ciue, tū
261 ab Henrico 4. Cæsare est duriter ppessus. † Vt

ob Henrici illius insidias aufugerit, Gelasius in Gallias: Vbi cum Cluniacensis Abbas demissè veneratus, splendidè excepit. In eo monasterio dùm pro ecclesiæ reformatione, & tutela cum Regibus, ac Principibus plurima optimus Gelasius moliretur, pleuresi correptus moritur, anno suæ administrationis primo, die quinto.

Calistus secundus P. M.
Cap. CXLII.

Calistum secundum, natione Burgundum, & Vienēsis Ecclesiæ Episcopum, qui suū genus ad Reges Franciæ, Angliæ, atq; Alemaniæ, referebat, Cardinales, qui tùm in Monasterio Cluniacensi, propter Gelasii obitum, aderāt, in defuncti locum subrogant. Verùm non prius Pontificium munus suscepit, quàm nouerit, se ab reliquis Cardinalibus, Romæ & in Italia commorantibus, in delato Pontificatu esse confirmatum. Romam dein veniens, populo obuiàm prodeunte, Vrbem ingreditur. Vbi rebus dispositis, Beneuentum petit: quò loci principes cōuenerè, iureiurando affirmantes, se posthac in Pōtificis Romani potestate semper futuros. Indè Romam profectus legatos ad Henricum Cæsarem quartum mittit: & resignationem iurium Ecclesiæ de manibus Henrici tandem extorquet, ac pacē 262

cum

cum eo init. Tabella igitur pacis ad Lateranensem Basilicam pro rostris suspensa, publica lætitia in vrbe simul exorta est. Intereà Pôtifex, audita morte multorum eius propinquorũ, qui in oriente infœliciter pugnarant, mœret æger corpore, ac tristatur plurimũ. Ab ægri-
263 tudine igitur vix dùm conualuerat,† quandò apud Lateranum Concilium nongentorum Episcoporum congregat. In quo pacem inter multos, qui inuicem dissidia & simultates gerebãt, composuit, Ecclesiasticũ statum cumprimis in melius reformans. Neq; etiam intermisit, Dominicum Michaelẽ Venetorũ Ducem, missis cum vexillo ecclesiæ propriis nũciis, exorare, ut rebus Christianorum, apud Hierosolimam periclitantibus, subueniret. Quæ res Calisto summè laudi data est. Meritus proindè Calistus de Deo, ac præclarè de hominibus, quiescit in Domino, anno sui Põtificatus quinto, mense decimo, die sexto.

Honorius secundus P. M.

Cap. CXLIII.

SVcceesit anno Christi 1124. Calisto Honorius secundus, agro Imolensi oriundus, Ostiensis antea Episcopus. Qui etsi obscuro loco fuerit natus: moribus tamen atq; eruditione tam sublimi honore non est indignus habitus. Viros quosdam insignes purpuræ ho-

noribus donauit. Quorū demùm opera magnis in rebus vsus est: munusq; Pontificiū cū omnium laude iugiter obiit. Proindè exacto quinquennio, & mensibus duobus, moritur pius Pontifex, nemine nō eius absentiam illachrimante.

Innocentius secundus, P. M.
Cap. CXLIIII.

INnocentius secundus, ciuis Romanus, magni vir animi, ad sedē Diui Petri post Honorium accersitur. Qui statim, inito Pōtificatu, Rogerium Normanum Siciliæ Comitē, qui sibi etiam Italiæ Regis titulum indignè arrogabat, bello adoritur, atq; improuisa obsidione cingit. At Guilielmus Calabriæ Dux, Rogerii filius, instructus milite veniens, cōmisso prælio, Pontificem cum Cardinalibus, qui nō venerant, capit: Rogerium obsidione liberat. Vsus fuit tamen modestia in captiuū Pontificem Victor Rogerius: siquidem Pontifice cum suis omnibus liberato, quicquid voluit Pontifex, præter Regni titulum, ab ipso Rogerio impetrat. Romam indè proficiscens adulterinum Papam, Petrileonis filium, qui se Anacletum appellabat, reperit. Quarè sibi ac suis metuēs, relicto in vrbe Vicario suo, Roma vnà cū Cardinalibus & Curia ad Philippum Regem in Franciam abiit.

264 †Inde apud Clarummontem Concilium habet: in quo Antipapam Anacletum & sectatores eiusdem damnat. Postea Belgas Instrās,
265 †Concilium illuc rursùm conuocat: atq; illinc discedens Italiam cum Lothario secundo repetiit. Vbi pax & quies omnibus parta fuit.
266 †Tandem multis in locis, plurimis coactis conciliis, quæ vsui Christianæ plebi essent: diē claudit extremum, anno nēpè decimo quarto, mēse septimo, die octauo sui Pōtificatus.

Celestinus Secundus P. M.
Cap. CXLV.

CElestino secundo, patria Hetrusco, è Castro fœlicitatis, quod Ciuitas Castelli esse existimatur, oriundo, post Innocentii obitum, Anno salutis Mundi 1143. Pontificia dignitas omnium cōsensu est delata. Hic nullis vexationibus toto eius Pontificatu agitatus (peste etenim vbiq; passim in italia laboratū est) quinto mense diem functus est.

Lucius Secundus P. M.
Cap. CXLVI.

LVcius secundus, Patria Bononiensis, Celestino defuncto succesit: cùm prius ageret præsbyterum Cardinalem tituli Sanctæ crucis in Hierusalem. Eam nimirùm Basilicā, quæ fidei suæ cōmissa erat, fermè collapsam

propriis sumptibus instaurauit. Cæterùm simul atq; iniit Pontificatum, triste nuncium Edissæ Vrbis ab infidelibus captæ, cum maxima nostrorũ strage, Pontifici est perlatum. Proindè nihil prætermisit Lucius, quod ad expeditionem Hierosolimitanam rursus cõparandam, maximè pertineret: nihilq; quod ad nostros in nouam expeditionem animandos facere videretur. Sed inter hæc bonus Põtifex occupatus, moritur, mense sui regiminis vndecimo, die quarto.

Eugenius Tertius P. *M.*
Cap. C X L V I I.

LVcium consequitur Eugenius tertius, Pisana Vrbe oriundus, Sancti Anastasii anteà Abbas. Qui à Bernhardo virò sanctissimo ad Monasterium olim fuerat vocatus. Magna quippè apud omnes de illo fuit sanctitatis opinio. Euectus ergò, concordibus patrum suffragiis, ad Pontificatus apicem, nihilifaciens Romanorum minas, efflagitantium, ut eorũ Senatores à Põtifice in magistratu confirmarentur; Roma ad Sabinos in Farfense Monasterium clàm abiit. Quò accitis Cardinalibus, est consecratus. Quinimò non minis solùm Romanorum, sed factis quoq; ab Eugenio despectis, ipsos ad pacem adegit. Magna igitur populi lætitia Romam Pontifex reuersus,

sus, sentiens Romanos sibi parùm fauentes, rursus de illorum manibus, secundo Tyberis Flumine, dilabitur. Indè Galliam petēs Diuū Bernhardum conuenit: amboq; sancti viri cernētes, rem Christianam in Asia loco esse pessimo, Ludouicum Francorum Regē (nec frustra) rogarunt, ut ipsemet cruce insignitus ad expeditionem Constantinopolitanam se cōferret. Italiam dein repetens honorificè à Romanis excipitur. Rebus illic Ecclesiæ compositis, Terracinam, Setiam, Norbanum, atq; fumonis arcem, de manibus Tyrannorū eripit. Tandem Tiburim concedens, illic moritur: anno nimirum sui Pontificatus octauo, mense quarto, & die vigesimo.

Anastasius quartus P. M.
Cap. CXLVIII.

Anastasius quartus, patria Romanus, Abbas anteà sancti Ruffi Veliternæ diocesis, ex Cardinalium ordine ad Pontificatum vocatur. Is suscepto Pōtificatu, Calicem pulcherrimi operis, magniq; valoris Basilicæ lateranēsi dono dedit. Egregias ædes apud Pantheon, quod Sanctam Mariam Rotundam vocant, breui tempore extruxit. Plurima quoq; versabat animo, cùm ad ecclesiæ dignitatē, tùm adornatum vrbis pertinentia: si ei diutius viuere licuisset. Intereà quum fame laboraret

tota

Aliud exemplum summæ pietatis Gregorii, & summi erga cũctos, Saxones præsertim, Henricũq; tertium Imperatorem, amoris, in Archetypo Romano etiãdum legitur. Eodem quippè anno, quo ad Petri sedem Gregorius fuit vocatus, quum omnia apud Germanos, maximè verò in Saxonia, circũsonarent bellis, replerentur homicidiis, igne consumerentur, stupris, latrociniis, sacrilegiisq; fœdarentur, cruentum etenim ardebat per id tempus bellum inter Henricum & Saxones: Gregorius magnos vltrò adhibuit conatus, quò gentem illam ad pacis studia cum Rege ipsorum reuocaret: quemadmodum subiectæ eiusdem Gregorii literæ ad vniuersos Saxoniæ Principes scriptæ satis superq; indicãt. Literarum tenor huiusmodi est.

† Gregorius Episcopus, seruus seruorũ Dei, Vuezelino Magdeburgensi Archiepiscopo, Burchardo Halberstetensi Episcopo, et Electori Marchioni, cæterisq; Saxoniæ Principibus, salutem & Apostolicã Benedictione. 254

QVanta violentia, quantaq; fratrũ impulsione vniuersalis ecclesiæ multis perturbationũ fluctibus cõcussæ, & penè quasi quodam naufragio periclitatæ onus & regimen suscipere sum coactus, occultũ vobis, & inauditum esse non credimus. Testis enim mihi est conscientia mea, quàm imparem me tan-

to ponderi iudicauerim, & quanta solicitudine nomen apostolicæ dignitatis euitare concupiuerim. Sed quoniam via hominis non in manu eius, sed illius est dispositione, à quo gressus hominum dirigũtur, impossibile mihi fuit contra diuinam voluntatem concepta vota defendere. Vndè mihi sollicitè vigilãdũ, atq; pensandum est, qualiter ea, quæ ad profectum ecclesiasticæ religionis, & salutem Dominici gregis attinent, adiuuante Deo, annũciare, & fideliter administrare valeam: Vrgente me præ omnibus tum eo timore, nè susceptæ me apud supernum iudicem negligentia dispensationis accuset, tum debito amore Apostolorum principis; qui me ab infantia mea sub alis suis singulari quadam pietate nutriuit, & in gremio suæ clementiæ fouit. Verùm inter cæteras curarum anxietates ea nos maximè sollicitudo coarctat, quòd inter vos, & Henricum Regem, vestrum videlicet domi num, tãtam discordiam & tàm inimica studia exorta esse cognouimus, ut exindè multa homicidia, incẽdia, depredationes ecclesiarum & pauperum, ac miserabilẽ patriæ vastitatem fieri audiamus. Qua de re Regi misimus, exhortàmes, & ex parte Apostolorum Petri & Pauli, eum admonentes, ut interim sese ab armis & omni bellorũ infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica sede nun-

Victor

cios,dirigamus,qui tantæ dissensionis causas & diligenter inquirere,& annuente Deo, ad pacem & cōcordiã æqua valeant determinatiõe perducere. Atq; itidẽ vos exoratos,& apostolica auctoritate cōmonitos esse volumus, vt ex vestra parte,omni motione sopita,easdẽ pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione vobis, cum Dei adiutorio,astruendæ pacis impedimentum opponatis; cùm etenim (ut scitis)nobis mẽtiri,sacrilegum, deserere iustitiam,animæ sit naufragium:neminem vestrũ dubitare volumus,quin super hac re, veritate discussa, quicquid æquum videbitur,prouidente Deo,decernere,& stabili pactione studeamus efficere: & quamcunq; partem iniurias, & conculcatæ iustitiæ violentiam pati cognouerimus; illi proculdubiò,omni timore,& respectu personalis gratiæ post habito,fauorem, & Apostolicæ auctoritatis præsidia conferemus. Data Romæ xiiij. Kal. Ianuarii. Anno Domini 1073. Indictione duodecima.

Vt vel hinc etiam solùm quibus diuinis plane virtutibus fuerit præditus iste optimus Põtifex,qui spiritu Dei illustratus,paci, & tranquillitati populorum vnicè studuerit,tota illa Saxoniæ plaga (etsi non reliquus orbis Christianus faceret, vti facit) testari facilè posset.



Victor

Victor tertius P. M.
Cap. CXXXVIII.

GRegorio septimo successit inuitus, ac planè renitèns in Pontificatu Victor tertius, Montis Casini anteà Abbas. Pontifex ergò Victor creatus partes Gregorii contra Antipapam Gibertum protinus (ut debuit) tutari cœpit. Quamobrem & Henricum tertium, inimicum sibi, eadem opera reddidit. Cuius etiã Henrici fraude (uti Germani Veteres ex Martino Scoto, viro in historia graui & docto, testantur) periit veneno Victor. Creditum etenim est, dùm sacra Missæ faceret Pontifex, venenum illi in calicem altaris immissum: ut indè mors sequuta fuerit. Licet Vincentius & ipse historicus senserit, Pontificem illum dissenteria fuisse sublatum. Cæterùm vtro modo obierit Victor: à suspitione veneni immunis nequaquàm fuit. Nanq; veneno petiti (si medicis crèdimus) corrosis et tabefactis intestinis, dissenteria plerumq; pereunt. Obiit proinde Victor post Annum sui Põtificatus primum, mense quarto.

Vrbanus secundus P. M.
Cap. CXXXIX.

VRbano secundo, prius Monacho, demùm Cardinali Ostiensi creato, munus Põtifi-

cium

cium post Victorẽ defertur. Vir quippè doctrina & sanctitate vitæ, quouis grandi honore, & gradu sublimi dignus. Is quum parùm fideret Romanis, noua indies (instigãte Henrico Imperatore) molientibus, in Gallias profecturus, | Placentiæ Synodum habuit: vbi 255
quorundam ecclesiasticorum petulãtiã præclarè cohibuit. Indè verò Galliam petens rem memorabilem est aggressus: † si quidẽ apud 256
Clarummontem conuocato concilio, Galliæ principes ad recuperandam Hierosolimam, quam saraceni occupauerant, mirificè animauit. Porrò Vrbanus ipse, solenni atq; ornatissima cõcione habita, ad patres Concilii, & ad vniuersam, quæ tũ ibi ex omni orbe Christiano aderat, multitudinem, omnibus adeò vtilem, & rei Christianæ pernecessariam expeditionem Hierosolimitanam persuasit: † Vt 257
millia virorum trecenta in album sacræ militiæ nomen illo tempore dederint, atq; Crucis signum, & profectionem simul Hierosolimã versus susceperint. Quarè negotio hoc in Gallia ex sententia confecto, Romam repetens, quò & Italos ad bellũ gloriosum hortaretur: omnia turbis & seditionibus plena offendit. Ob id non leuiter sibi à Ioanne quodam pagano, homine omnium scælestissimo, metuens, in domo Petrileonis potẽtissimi ciuis Romani pius Pontifex biennio fuit. Deniq;

niq; Ioanne è viuis sublato, ad componendum ecclesiæ statum animum Vrbanus adiecit: ac etiam Antipapam Gibertum inferis sua auctoritate semel deuouit. Postremò vir sanctus, multos labores patienter perpessus, & plurimis persecutionibus deuoratis, duodecimo eius regiminis anno, mēse quarto, die decimonono in Domo Petrileonis apud sanctum Nicolaum, Carceris Tulliani, quieuit in Domino.

Paschalis secundus P. M.
Cap. CXXXX.

PAschalis eius nominis secūdus, anteà Raynerus nūcupatus, genere Italus, Flaminia prouincia oriundus, initio Monachus, & ob ipsius doctrinam atq; virtutem à Gregorio septimo præsbyter sancti Clementis creatus, inuitus & latitans Vrbano substituitur. Aiebat enim ipsius humeros delato oneri impares futuros. Verùm petente populo, eligente & collaudante, vnà cum cetu Cardinalium, Clero, Pontifex Maximus est designatus. Ternamq; in electione acclamatum est: sanctus Petrus Raynerum, virum optimum, Pontificē elegit. Tiara proindè capiti Paschalis imposita, comitante clero populoq; Romano, equo albo insidens ad Lateranum vehitur. Indè nimirum proficiscēs in Basilica Sancti Pe-

tri

tri Chrismate inungitur. Demùm in vrbē reuersus coronam de more suscepit. Paschalis igitur tranquillitati ecclesiæ consulturus copias suas in Antipapam Gibertum, hominem scæleratum mittit. Sed non multò post ille Gibertus morbo repentè correptus interiit. At non tùm quoq; malorum desiit finis. Richardus etenim Campaniæ Comes Albertum quendam, Atrellanum Ciuem, Antipapam creat. Qui tamen statim à bonis viris abdicare se magistratu cogitur. Cauenses, agri prænestini incolæ, atrox Campani Comitis exēplum imitati, Theodoricum quendam & ipsi pseudò papam sibi fecerūt. Cæterùm paulò post pœnitentia ducti, quinto & cētesimo die Pontificatu inani illum deiecerunt. Pacatis itaq; ad hunc modum ecclesiæ rebus, Paschalis, magno vir ingenio, ad arma conuersus, vrbem Castellanam & Beneuētum ab hostibus occupatas recuperat: atq; alia id genus præclara facinora strenuè gerit. Dein Galliā Cisalpinam petit: † quo in loco apud Guar- 258
dastallum, agri Cremonensis oppidum, plurima cū fructu de Homagiis, ac feudis, in frequenti principum & episcoporum cōuentu, ab ipso sunt tractata. Romæ quoq; ecclesias numero quindecim consecrauit. † Vbi etiā 259
violata iurisiurandi religione, contra ius, fasq; diuinæ & humanæ legis, ab Henrico Quarto

Cæsare

quarto Cæsare captus, atq; direptus miserè
260 fuit. Sed. n. rebus cōpositis, † & Henrico per
Pontificē Imperii corona donato, in agrum prænestinū venit: illicq; Agapiti Basilica dedicata, Romā rediens populum Romanum, honoris ergò, effusa multitudine obuiā habuit. Ex qua populi frequentia in corporis incidit ægritudinem: ut se non longo post tēpore ex ea periturū cognosceret. Quocircà, acceptis omnibus ecclesiæ sacramentis, cohortatus est clerum ad pacem, atq; concordiā, in domino sic obdormiens: Anno quidem sui Pontificatus decimo octauo, mēse sexto, die septimo.

Gelasius secundus P. M.
Cap. C X L I.

PAschalis secundi, piè defuncti, locum Gelasius secundus, vno omnium cōsensu, frequentibusq; suffragiis, meritò obtinet. Is nāq; patria Gaietanus fuit, claro genere natus à teneris ingenuè educatus, primordia religionis in Cassino mōte, sub præceptore Odrisio, loci illius Abbate, viro sanctissimo, perdidicit. Ob præclaras ipsius animi dotes ab Vrbano ii. Romā accitus fuit. Vir ille etsi sanctissimus quippe, ac omni laude dignissimus fuerit, habitusq; sit: attamē graues & immeritas psecutiones cū à Cincio Fregepane, Romano ciue, tū
261 ab Henrico 4. Cæsare est duriter ppessus. † Vt

ob Henrici illius insidias aufugerit, S. Gelasius in Gallias: Vbi cum Cluniacensis Abbas demissè veneratus, splendidè excepit. In eo monasterio dùm pro ecclesiæ reformatione, & tutela cum Regibus, ac Principibus plurima, optimus Gelasius moliretur, pleuresi correptus moritur, anno suæ administrationis primo, die quinto.

Calistus secundus P. M.
Cap. CXLII.

Calistum secundum, natione Burgundum, & Vienẽsis Ecclesiæ Episcopum, qui suũ genus ad Reges Franciæ, Angliæ, atq; Alemaniæ, referebat, Cardinales, qui tùm in Monasterio Cluniacensi, propter Gelasii obitum, aderãt, in defuncti locum subrogant. Verùm non prius Pontificium munus suscepit, quàm nouerit, se ab reliquis Cardinalibus, Romæ & in Italia commorantibus, in delato Pontificatu esse confirmatum. Romam dein veniens, populo obuiàm prodeunte, Vrbem ingreditur. Vbi rebus dispositis, Beneuentum petit: qui loci principes cõuenerè, iureiurando affirmantes, se posthac in Põtificis Romani potestate semper futuros. Indè Romam profectus legatos ad Henricum Cæsarem quartum mittit: & resignationem iurium Ecclesiæ de manibus Henrici tandem extorquet, ac pacẽ
cum

cum eo init. Tabella igitur pacis ad Lateranẽsem Basilicam pro rostris suspensa, publica lætitia in vrbe simul exorta est. Intereà Pōtifex, audita morte multorum eius propinquorũ, qui in oriente infœliciter pugnarant, mœret æger corpore, ac tristatur plurimũ. Ab ægri-
263 tudine igitur vix dùm conualuerat,† quandò apud Lateranum Concilium nongentorum Episcoporum congregat. In quo pacem inter multos, qui inuicem dissidia & simultates gerebãt, composuit, Ecclesiasticũ statum cùmprimis in melius reformans. Neq; etiam intermisit, Dominicum Michaelẽ Venetorũ Ducem, missis cum vexillo ecclesiæ propriis nũciis, exorare, ut rebus Christianorum, apud Hierosolimam periclitantibus, subueniret. Quæ res Calisto summè laudi data est. Meritus proindè Calistus de Deo, ac præclarè de hominibus, quiescit in Domino, anno sui Pōtificatus quinto, mense decimo, die sexto.

Honorius secundus P. M.

Cap. CXLIII.

Svccessit anno Christi 1124. Calisto Honorius secundus, agro Imolensi oriundus, Ostiensis antea Episcopus. Qui etsi obscuro loco fuerit natus: moribus tamen atq; eruditione tam sublimi honore non est indignus habitus. Viros quosdam insignes purpuræ ho-

noribus donauit. Quorũ demum opera magnis in rebus vsus est: munusq; Pontificiũ cũ omnium laude iugiter obiit. Proindè exacto quinquennio, & mensibus duobus, moritur pius Pontifex, nemine nõ eius absentiam illachrimante.

Innocentius secundus, P. M.
Cap. CXLIIII.

INnocentius secundus, ciuis Romanus, magni vir animi, ad sedẽ Diui Petri post Honorium accersitur. Qui statim, inito Põtificatu, Rogerium Normanum Siciliæ Comitẽ, qui sibi etiam Italiæ Regis titulum indignè arrogabat, bello adoritur, atq; improuisa obsidione cingit. At Guilielmus Calabriæ Dux, Rogerii filius, instructus milite veniens, cõmisso prælio, Pontificem cum Cardinalibus, qui cõ venerant, capit: Rogerium obsidione liberat. Vsus fuit tamen modestia in captiuũ Pontificem Victor Rogerius: siquidem Pontifice cum suis omnibus liberato, quicquid voluit Pontifex, præter Regni titulum, ab ipso Rogerio impetrat. Romam indè proficiscens adulterinum Papam, Petrileonis filium, qui se Anacletum appellabat, reperit. Quarè sibi ac suis metuẽs, relicto in vrbe Vicario suo, Roma vnà cũ Cardinalibus & Curia ad Philippum Regem in Franciam abiit.

264 † Inde apud Clarummontem Concilium habet: in quo Antipapam Anacletum & sectatores eiusdem damnat, Postea Belgas lustrās,
265 † Concilium illuc rursùm conuocat: atq; illinc discedens Italiam cum Lothario secundo repetiit. Vbi pax & quies omnibus parta fuit.
266 † Tandem multis in locis, plurimis coactis conciliis, quæ vsui Christianæ plebi essent: diē claudit extremum, anno nēpè decimo quarto, mēse septimo, die octauo sui Pōtificatus.

Celestinus Secundus P. M.
Cap. CXLV.

CElestino secundo, patria Hetrusco, è Castro fœlicitatis, quod Ciuitas Castelli esse existimatur, oriundo, post Innocentii obitum, Anno salutis Mundi 1143. Pontificia dignitas omnium cōsensu est delata. Hìc nullis vexationibus toto ejus Pontificatu agitatus (peste etenim vbiq; passim in italia laboratū est) quinto mense diem functus est.

Lucius Secundus P. M.
Cap. CXLVI.

LVcius secundus, Patria Bononiensis, Celestino defuncto successit: cùm prius ageret præsbyterum Cardinalem tituli Sanctæ crucis in Hierusalem. Eam nimirùm Basilicā, quæ fidei suæ cōmissa erat, fermè collapsam

sus, sentiens Romanos sibi parùm fauentes, rursus de illorum manibus, secundo Tyberis Flumine, dilabitur. Indè Galliam petēs Diuū Bernhardum conuenit: amboq; sancti viri cernētes, rem Christianam in Asia loco esse pessimo, Ludouicum Francorum Regē (nec frustra) rogarunt, ut ipsemet cruce insignitus ad expeditionem Constantinopolitanam se cōferret. Italiam dein repetens honorificè à Romanis excipitur. Rebus illic Ecclesiæ compositis, Terracinam, Setiam, Norbanum, atq; fumonis arcem, de manibus Tyrannorū eripit. Tandem Tiburim concedens, illic moritur: anno nimirum sui Pontificatus octauo, mense quarto, & die vigesimo.

Anastasius quartus P. M. Cap. CXLVIII.

Anastasius quartus, patria Romanus, Abbas antea sancti Ruffi Veliternæ diocesis, ex Cardinalium ordine ad Pontificatum vocatur. Is suscepto Pōtificatu, Calicem pulcherrimi operis, magniq; valoris Basilicæ lateranēsi dono dedit. Egregias ædes apud Pantheon, quod Sanctam Mariam Rotundam vocant, breui tempore extruxit. Plurima quoq; versabat animo, cùm ad ecclesiæ dignitatē, tùm adornatum vrbis pertinentia: si ei diutius viuere licuisset. Intereà quum fame laboraret

tota pœnè Europa, Anaſtaſius modò clàm, modò palàm pauperibus elargiebatur eleemoſinas. Sed poſt annum ſui Pontificatus primum, menſe quarto, die vigeſimo quarto, ex hac vita deceſsit.

Hadrianus quartus P. M.
Cap. CXLIX.

HAdrianus quartus, poſt Anaſtaſium, ad Pontificium munus aſſumitur. Hic Anglus natione fuit, † Et ab Eugenio tertio in 267
Nouergiam, vltimam certè, ac remotiſsimã occidentalium prouinciarum oram, licet hominum frequentia, & multitudine, primam, ad prædicandum Euangelium fuit quandoq; miſſus. Functus igitur præclarè iniuncto munere Hadrianus, & Regno Nouergiæ ad Chriſtum conuerſo, poſt Anaſtaſii obitum in Põtificatu, ut diximus, ſucceſsit. Qui à Romanis cũ precibus, tùm quoq; minis rogatus, ut conſulibus ſuis liberam Romanæ vrbis adminiſtrationem permitteret, vtq; ipſe ad Lateranum iret, ſuſcipiendæ conſecrationis gratiæ: vtrunq; facere renuit, niſi prius Arnaldũ quẽdam Brixienſem ab Eugenio olim damnatum Roma pellerent. Verùm quum nihil proficeret Pontifex: Sed Romani, ira & odio in Hadrianum ſuccenſi, Cardinalem quendam, qui tùm fortè ad Pontificem veniebat, iniuria,

vulneribus,affecerunt. Tùm Pontifex rei indignitate motus Romanis,ac toti deniq; vrbi ſacra interdixit. Quod quum populus ferre æquo animo diutius non poſſet: Arnoldus ſeductor vrbe eiectus eſt,& creati pridem conſules ab officio & magiſtratu ſunt depoſiti. Poſt hæc, Hadrianus Guilielmum Siciliæ Regem,qui multas eccleſiæ vrbes occupauerat,
268 excommunicat. † Fridericũ primum,cognomento Barbaroſſam,in Aede diui Petri corona Imperii donat. Iſte Pontifex Romanã ditionem plurimum auxit: Oppida haud pauca muniuit:Radicophanum muro & arce fermè inexpugnabilem reddidit: Primus Pontificum Romanorum vrbem veterem inhabitauit:ut indè locus ille multò cultior ſit redditus. Poſtremò moritur Hadrianus Anno fœlicis ſuæ adminiſtrationis quarto,& menſe decimo. Rem profectò altius totam hîc Ponti-
269 fex expendit:qui cùm animaduerteret, † Patrimonium Beati Petri pauperibus,nõ raptoribus,eſſe dicatum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus,quæ innumeræ ſunt, eſſe addictum: nephas putauit,illud non augeri, non
270 cõmuniri, non conſeruari. † Hi porrò, qui bona Eccleſiæ Chriſti deuota aut conſecrata, ſibi vel ſuis ad luxum,ad delicias, potentiam, & honores, rapiunt, Chriſtum ipſum (quantum in ipſis eſt) utiq; ſpoliãt, & eccleſiã Chri-

ctū m q; grauissimè læsút. Si opes Romani Imperii alienare, perniciosum sit, & facinus immanè, vti in libro de Romano Imperio, ac eius iurisdictione quandoq; ostendi: quanto magis ecclesiæ Christi bona in priuatorum commodum, & potentiam, distrahere, indecens, atq; inexpiabile crimen quiuis bonus iudicabit? † Ideoq; ætate nostra Pius quintus 271
Pontifex Maximus, qui cùm in priuata vita, tùm in summo dein Apostolatus gradu constitutus, magna veræ sanctitatis nunquàm nō edidit exempla, Clementis quarti vestigiis insistēs, Spiritu Dei nimirùm ductus, inter cætera eius præclarissima facinora illud præstātissimū, in frequenti Amplissimorū Cardinalium cœtu, decreto publico, & laudatissimū constituit: ut alienationes cuiusq; generis bonorū sanctæ Romanæ Sedis cunctis posthac in vniuersum essent interdictæ. Cui sanè decreto omnes Cardinales (præstito solenni obseruantiæ perpetuæ iuramento) lubentes subscripserunt. Exiuit autem ea constitutio Anno Domini nostri Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Kal. Aprilis, eiusdem verò, sanctissimi Pii Pontificatus anno secundo. Quem Deus omnipotens, sua ineffabili misericordia, incolumen sanctæ eius ecclesiæ diutissime conseruare dignetur. Ad Alexandrum venio.

Auth. Multo magis. C. de sacrosanc. Eccl.

Alexander

Alexander tertius P. M.
Cap. CL.

ALexander tertius, Senis oriundus, Hadriano defuncto, viginti & duobus Cardinalium suffragiis, in sede Petri subrogatur. Qui etsi canonicè ad summum Pontificatus gradum fuerit euectus: Octauianum tamen quendam, tribus duntaxat suffragiis, in Antipapam electũ, & Victorem denominatũ, sensit molestum. Quarè Octauianus iste nullo iure Pontifex designatus, ad Fridericum Imperatorem, Barbarossam nominatum, proficiscens, fauorẽ & gratiam Barbarossæ in perniciem Ecclesiæ affatim est expertus. Alexander verò Pontifex, hortãtẽ Philippo Franco-
272 rum Rege, in Franciam contendit.† Vbi conuentu patrum apud Clarummontem habito, & Fridericum Barbarossam, & Octauianum, inanem Papam, anathemate perstringit. Sed Barbarossa tantùm abest, quòd fuerit tùm
273 pœnitentia ductus, † ut etiam tres alios Antipapas, successiuo tempore, vnum post alium, contra verum Christi Vicarium Alexandrum, fecerit. Intereà Romani ex Francia Romam summum Pontificem Alexãdrum amicè reuocant. Verùm non diu post, Barbarossæ furor, Alexãdrum ab vrbe remouet: vt coqui ipsius vestibus indutus, fuerit coactus Ve

netias fugere: Vbi in Monasterio Diuæ Virginis de Charitate pro Hortolano recipitur.
† Quo in loco posteà agnitus, à Senatu po- 274
puloq; Veneto, sicuti par erat, perhonorificè ac reuerẽter excipitur. Qua re Friderico cognita, protinus ille contra Venetos expeditionem naualem parat: Ottonémq; ipsius filium classi præficit, ad reposcendumq; Alexandrũ
Pontificem Venetias mittit. † Cui Veneti oc- 275
currentes, commisso prælio, Ottonem, Barbarossæ filium, capiunt, vinctumq; Venetias cũ classe captiua ducunt. Cæterùm pace per filium Ottonem inter summum Pontificem Alexandrũ & Barbarossam, quibusdam conditionibus implendis, composita: ipse Barbarossa postero die Venetias aduolat: pacem firmat; Romam, & quæ ditionis erant ecclesia-
sticæ, Alexandro restituit. † Quibus ita per- 276
actis, Alexãder Pontifex vnà cum Imperatore Barbarossa ad Valuas tẽpli sancti Marci accessit: Vbi, vniuerso vrbis Venetæ adstãte populo, iussit Imperatori Pontifex, vt se humi prosterneret, atq; væniam rursus (quòd Vicarium Christi & Sãctam eius Ecclesiam, hostili, atq; Diocleciano spiritu, psequutus fuisset) publicè peteret. Barbarossa igitur humi prostrato, eius collum pede comprimens Põtifex ait: scriptum est enim: Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonẽ
 & Dracone.

et Draconem. Cui Imperator Barbarossa tùm respondit: Non tibi, sed Petro, cuius successor es. At statim subiunxit Pontifex: & mihi & Petro. Atq; hisce modis pax inter ecclesiam
277 & Imperatorem constituta fuit. † Hîc Pontifex Beatum Thomam, Cantuariensem Angliæ Archiepiscopum, in Album sanctorum Christi Martyrũ, re prius accuratissimè per-
278 pensa, retulit. † Nouissimè conuocato apud Lateranum Concilio, permulta Chistianæ Reipublicæ necessaria insigniter disposuit. Post deniq; lõgos iugiter deuoratos labores, ac post quatuor illos schismaticos Antipapas è medio sublatos, iã à Tyrãnicis persecutionibus quieturus, ad Christum hinc migrauit, annò nempê regiminis sui vigesimò primo, die decimo nono.

Lucius tertius, Vrbanus tertius, Gregorius octauus PPP. MMM.
Cap. CLI.

LVcius eius nominis tertius, natiõe Hetruscus, Ciuis Lucensis, nobili genere natus Alexãdro tertio, laude & gloria ornatissimo, pridem mortuo, omnium consensu in ponti-
279 ficatu successit. † Hîc Consules à Romanis in
280 Vrbe creatos deponi curauit. † Impetrauit à Cæsare, gratus erga patriam suam iste, nè Hetrusci alia, quàm Lucẽsi, moneta possent vti.

Sed

Sed quum neq; tutò Romæ versari amplius posset: Veronam se contulit: † vbi conuocato 281 Concilio, principes omnes Christianos strenuè hortatus est, vt rei Christianæ, Hierosolimis laboranti, suppetias ferrent. Dùm autem Veronæ in his magnoperè occupatur, Vir sanè optimus, eripitur rebus humanis, post annum quartum, mensem secundum sui Pontificatus, die nempè decimo octauo.

Huic mortuo successit Vrbanus tertius, Mediolano oriundus, ex Cribellorum familia natus. Qui, inito Põtificatu, protinus studuit paci inter omnes Christianos Principes componendæ: nè inuicem nimiùm altercantes à Barbaris opprimerentur. Quarè quum Saladini Barbari virtus, atq; ingens fama, Pontificem terruisset: vt rebus Christianis in Oriẽte seriò metueret: † generali edicto Christia- 282 num monuit orbem, quò auxiliares copiæ in Asiam mitterentur. Cùmq; id serius fieri animaduerteret: Venetias proficisci cœpit, ut rẽ sua præsentia maturaret. Verùm audita inter proficiscendum ingenti nostrorum clade, à Saladino illata, mœrore & febri repẽtè cõfectus Ferrariæ moritur, anno sui regiminis primo, mense decimo, die xxv.

Vrbanum verò subsequitur in ordine Gregorius octauus, ciuis Beneuentanus. Qui ardore animi erga rem Christianã inferior suo

prædecessore

prædecessore nequaquàm fuit. Quamobrē Pontifex creatus Principes Christianos literis atq; nunciis studiosè hortatur, ut viribus omnibus vnà secum, arreptis armis, instructo exercitu, terra mariq; captam Hierosolymam recuperent. Quam quidem expeditionem vt facilius aduersus Barbaros firmiorem compa-
283 raret, Pisas se contulit, † quò Pisanos & Genuenses, populos aliquot bello naualli præpotentes, inuicem tùm dissidentes, pacis & amicitiæ fœdere simul coniungeret. Pacem igitur ex sententia Pontifex conficit, & irritatos populorum animos Beneuolentiæ studiis atq; humanitate demulcet: hac nimirùm iniuncta vtriq; parti cura, parandæ & ducendæ in Barbaros classis instructæ. Cæterùm inter hæc Sāctissimi Pontificis vota, ac pios conatus, moritur ipse in Domino, die sui Pōtificatus quinquagesimo septimo.

Clemens tertius P. M.
Cap. CLII.

SVscepto Pontificatu à Clemente tertio, ciue Romano, quàmprimùm generale edictum Pōtificis ad Christianos Principes exiuit. Quo illis ferre arma in saracenos, propter amissā Hierosolymā & illatas nostris clades,
284 diligentissimè suadebat. † Permouit ea Pontificis seria valdè adhortatio Fridericum Cæsarem,

ſarem, cognomento Barbaroſſam, Guilielmũ Siciliæ Regem, Rickardum Regem Angliæ, Venetos, Piſanos, qui expeditiſsimas claſſes eduxerẽ, Odonem Burgundiæ Ducem, Friſios quoq; et Dacos, ac Flandros: quos innumeri Archiepiſcopi, Epiſcopi, & virorum ſacri ordinis immenſa multitudo ſequuti ſunt. Clemens verò rebus eccleſiæ componendis ſedulam Romæ nauabat operam. Mores quorundam clericorum improbos ſæuerè correxit. Clauſtrum S. Laurentii extra vrbis mœnia ædificauit. Laterani ædes magna impenſa reſtituit: Baſilicamq; opere vermiculato exornauit. Moritur tandem anno tertio, menſe quinto ſui Pontificatus.

Celeſtinus Tertius P. M. Cap. CLIII.

CElestinum tertium, ciuem Romanũ, Cardinalem ætate grandæuũ, Clemẽti defuncto ſubrogat ſacer Cardinaliũ Senatus. Virũ quippè virtute inſignẽ, ac omninò bonũ. † 285
Hîc Pōtifex Henricum quintũ, quẽ Germani ſextũ dicũt, imperii corona ornauit. Quãdiu vixit, pro recuperãda terra Sãcta nũquàm non ſolicitus anxiè fuit. Qui tot rerum perturbationibus vexatus, tãtoq; bellorum ſumptu exhauſtus, ſplendidas nihilominus ædes cùm ad Diuum Petrum, tùm ad Lateranum

(quò summi Pótifices commodius deinceps illic recipi possent)extruxit. Viterbii Ecclesiã Cathedralem constituit. Demũm obijt Anno suæ administrationis sexto, mẽse septimo, die vndecima.

Innocentius tertius P. M. Cap. CLIIII.

INnocentius tertius, Campania oriundus, patria Anagninus, Celestino defuncto, omnium consensu, sufficitur. Vir fuit Innocentius in omni vitæ genere, doctrina, moribus,
286 & pietate, probatissimus. † Vænalitatem curiæ perosam habuit: edicto propterea cauit, vt nemo officialium curiæ, præter scriptores, & sigillorum impræssores, quicquàm ab alio, officii nomine, in posterùm exigeret. Ipsis etiam scriptoribus, & sigillorum impræssoribus certum exactionis modum præfixit. Hostiarios à Notariorum Conclauibus (quô liber cuiuis pateret aditus) amouit. Bello Asiatico, post initum Pontificatum, animum protinus adiecit. Germanos, qui in Asia erant, ob mortem Henrici Cæsaris in Armenia, maximo cum Rei Christianæ detrimento tumultuantes, literis, nunciis, præmiis, atq; pollicitationibus, in officio retinere (sed frustrà) sũma ope est adnisus.
287 † Frequentissimam Synodum, Asiatici huius belli gratia, in Laterano

habuit: Vbi interfuerè Hierosolimitanus & Constantinopolitanus Patriarcæ, Metropolitani 70. Episcopi 312. Abbates & Priores Cõuentuales 800. Romani & Græci Imperii legati: Regum verò, Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri, Oratores. Plurima librorum volumina Innocentius composuit. Inter illa verò librũ, De miseria humanæ conditionis: De sacramẽto Eucharistiæ: De sacramento Baptismi. Non neglexit, habere conciones temporibus, atq; diebus festis, percõmodas. Decretales antiquas ordine disposuit: quas & obseruari præcepit. Decretales multas sui Põtificatus initio, ac etiam posteà, valdè insignes, promulgauit: quæ passim in Decretalium codice etiamnùm visuntur. Iuuit Innocentii virtutem atq; gloriam Beatorum Dominici & Frãcisci sanctitas: qui illo floruerunt tempore. Damnauit Pontifex Abbatis Ioachimi libellum quendam doctrina parùm sana refertum. Improbauit & Almerici hæretici errores: qui demùm Parisiis vnà cum sectatoribus suis igne pœnas dedit. Neq; Innocentium, operum pietatis, in tãto Pontificatu, cœpit obliuio. † Porrò Hospitale sancti 288
Spiritus, in Vaticani suburbio celeberrimum atq; ditissimũ suo sumptu peregrinis, ægrotis, & vulgo conceptis orphanis, totum parauit. Basilicam sancti Sixti, quæ in Auentino

condita est, tunc temporis dirutam instaurauit. Alia deniq; opera, quæ magnæ viri pietatis specimen fuerẽ eximium, ecclesiis, atq; sacratis locis exhibuit. Cùm autem sub finem eius vitæ Perusium, ineũdæ pacis causa, inter Pisanos & Genuenses inuicem pugnãtes, profectus Innocentius esset: illic decessit: anno nimirùm eius Pontificiæ dignitatis xviii. mẽse septimo, die decimo sexto. Ipsius Innocentii vita sic posteris probata fuit, sic deniq; ab eo gesta omnibus placuerunt, ut horum nihil planè fuerit vnquàm immutatũ, aut reprobatũ.

Optimus iste Pontifex Innocentius, quem hæretici maledictis tantoperè insectantur, Ioannem Angliæ Regem discolum, & Ecclesiæ
289 persecutorem in ordinem redegit. † Qui sanè Ioannes Rex cõmuni procerum regni sui consensu, addito iureiurando, pro se & successoribus eius, vniuersum Angliæ regnum, necnon & totum regnum Hiberniæ à Sancta Romana Ecclesia tanquàm beneficiarius recepit, atq; se tenere agnouit. Insuper mille Marchas argenti quotannis pendere, vltra solitũ Denarium Beati Petri, Romanæ sedi anno salutis 1212. promisit. Illius autẽ Regis hac de re conceptas literas, de Romano Registrorũ Innocẽtii Archetypo ad vnguem fidelissimè sumptas subiicere iam non ab re libuit. Literarũ tenor huiusmodi sequitur.

Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Nortmaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauensis, &c. Omnibus Christi fidelibus, præsentem chartam inspecturis, salutem. Vniuersitati vestræ per hanc chartam nostram Sigillo nostro munitam volumus esse notum: quia cùm Deum & Matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proindè diuina misericordia plurimùm indigere noscamur, nec quid dignè offerre pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda (nisi nos ipsos & regna nostra) habeamus: volētes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsq; ad mortem, gratia Sancti Spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona, spontaneaq; voluntate, ac cōmuni consilio Baronū nostrorum, offerimus, & liberè concedimus Deo, & sanctis Apostolis eius, Petro & Paulo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac domino nostro Papæ, Innocētio tertio, eiusq; catholicis successoribus totum regnum Angliæ, & totum regnum Hiberniæ, cum omni iure & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tàm pro viuis quàm pro defunctis: & à modo illa à Deo & ecclesia Romana tanquàm feudatarius, recipientes & tenentes in præsentia Domini Pandulphi subdiaconi, & Domini

 nostri

nostri Papæ familiaris, fidelitatē exindè præ-dicto Domino nostro Papæ, Innocentio tertio, eiusq; catholicis successoribus, & ecclesiæ Romanæ secundum subscriptam formam facimus & iuramus: & Homagiū ligium in præsentiā Domini nostri Papæ (si coram eo esse poterimus) eidem faciemus: successores & hæredes nostros in perpetuum obligantes, ut simili modo Pōntifici, qui pro tempore fuerit, & ecclesiæ Romanæ sine conditione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere. Ad indicium autem huius nostræ perpetuæ oblationis & cōcessionis volumus & statuimus, vt de propriis & specialibus redditibus prædictorum regnorum nostrorum, pro omni seruitio & obedientia, quam eis debemus (vltra Denarium Beati Petri) Ecclesia Romanā Mille Marchas strilingorum percipiat anniuatim, scilicet in festo sancti Michaelis quingentas Marchas, & in Paschate quingentas Marchas: septingentas scilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro regno Hiberniæ) Saluis nobis, & hæredibus nostris iustitiis, libertatibus, & regalibus nostris. Quæ omnia, sicut supra dicta sunt, rata esse volentes perpetuò atq; firma, obligamus nos & successores nostros non contrauenire. Et si nos, vel aliquis successorum nostrorum, hoc attemptare præsumpserit: quicunq; ille fuerit, nisi

nisi ritè commonitus resipuerit cadat à iure Regni: & hæc charta oblationis & concessionis nostræ semper firma permaneat.

Sequitur iuramentum memoratæ fidelitatis ipsius Regis.

EGo Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, & dominus Hiberniæ, ab hac hora in anteà fidelis ero Deo, & Beato Petro, & ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocẽtio, eiusq; successoribus catholicè intrantibus. Nõ ero in facto, dicto, consensu, vel cõsilio, vt vitam perdant, vel membra, aut mala captione capiantur: eorum damnum, si sciuero, impediam, & remanere faciam, si potero: alioquin eis, quàmcitius potero, intimabo: vel tali personæ dicam, quam credã eis pro certo dicturam. Consilium, quod mihi crediderit, per se, vel p nuncios, seu literas suas, secretũ tenebo, & ad eorũ damnũ nulli pandã. Patrimonium Beati Petri, & specialiter Regnũ Angliæ & Regnũ Hiberniæ, adiutor ero ad tenẽdũ & defẽdendũ cõtra omnes homines, pro posse meo: sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Quæ omnia sic coram duobus Archiepiscopis, & octo Comitibus, ad hoc vocatis, inter summum Pontificem (eius Nuncio mediante) & Ioannem Regem ritè peracta fuisse Anno (vt dixi) 1212. Sacer Archetypus Registrorũ ipsius Innocentii etiamnũm Romæ indicat.

290 dicat. † Vt hoc quoq; loco Angli (nisi in Deū & piam eorum Matrem, Sanctam Ecclesiam, Romanam, perfidi periuriq; libenter esse velint) sui officii splendidè commonefacti esse possint.

Honorius tertius P. M.
Cap. CLV.

Defuncto Innocētio, cùm res Christiana, non solùm propter Asiaticum bellum, sed & propter ciuiles Italicas dissensiones, grauissimis esset exposita periculis: Perusini ciues, honesto Conclaui inclusis Cardinalibus, cibū indies tenuiorem, donec Pontificem creassent, præbuere. Quamobrē angustiæ victus, piam vim inferēs, Cardinales exciuit, vt intra sex dies Honorium tertium, Pontificem Maximum, cōcordibus votis, renunciarent. Honorio igitur Pontifici designato nihil antiquius, nihilq; in votis prius fuit, quàm studia
291 pacis in Italia componendæ. † Demùm rogatus à Petro Antisiodorensi, Imperatore Cōstantinopolitano, ipsum & Iolam vxorē, Romæ in æde Diui Laurentii, quæ via Tyburtina extra muros insignis uisitur, imperiali diademate condecorauit. Ioannem Columnensem, Episcopum Portuēsem & Cardinalem, legatum facit, vnàq; cum auxiliaribus copiis
292 Hierosolimam mittit. † Imperiali deindè corona

rona Fridericum secūdū donauit: licet postea eundem Fridericum periurio, dolis, sceleribus, rapinis, sacrilegiis, obnoxium, anathemate percusserit, omniuè dignitate priuauerit. Religionem Hæremitarum (sicuti Innocentius prædecessor eius fecerat) protegendā suscepit. † Prædicatorum quoq;, & Minorū, 293
Christianæ Reipublicæ vtilissimos ordines, primus ipse cōfirmauit, suaq; auctoritate probauit. Huius Honorii plurimæ in Iuris canonici libris extant epistolæ Decretales. Qui demum à rebus externis quietus, Basilicam & Cœnobium Sancti Laurentii extra vrbis mœnia reparauit. Celebre Oratorium, quod Sancta Sanctorum vocatur, honorifico sumptu apud Lateranum instaurauit.

† Bohemi sanctissimo huic Pontifici, obsidibus etiam datis, promiserunt, se in fide & 294
obedientia Romanæ ecclesiæ perpetuò futuros: ac iura eiusdem ecclesiæ mordicus semper seruaturos: vtpotè quos magnis eadem Romana sedes tunc quoq; recens adfecerat beneficiis. † Vniuersum Scotiæ Regnum sub 295
protectione Apostolicæ sedis Romanæ Honorius iste etiam suscepit: multisq; illud decorauit honoribus, atq; priuilegiis donauit. † Insuper supremam exercens potestatem, pa- 296
cta inter Angliæ & Scotiæ Reges alioquì inita (nū in rata aut minus essent habēda) per dele-
gatum

gatum iudicauit. Earum autem rerum fides in Registro eiusdem Honorii adhuc Romæ clarissima extat. Ad Germanos redeo. Vitam deniq;, vti bonum Pastorem decet, ad extremum vsq; ducens, post annum sui Pontificatus decimum, & mensem septimum, decimo tertio die moritur.

Gregorius nonus P. M.
Cap. CLVI.

EVectus fuit ad summum Pontificatus apicem, post mortem Honorii, Gregorius nonus, Anagnina oriundus, & Innocentii tertii nepos. Qui quàmprimùm Pontifex declaratus est, Fridericum secundum Cæsarem admonet, ut expeditionem Hierosolimitanã, cui se uoto pridẽ solẽniter obstrinxerat, obire amplius non detrectaret, sed ad profectionem primo quoq; tempore se pararet: Alioquin interminabatur Pontifex, se excommunicationis, priuationisq; Imperii & dignitatis sententias, à prædecessore Honorio in illum anteà promulgatas, acriter refricaturũ, innouaturumq;. Promisit Fridericus, se velle; stare promissis: diesq; profectioni dictus est. Verùm adueniente profectionis die, magna virorum principum & militũ multitudo Brundusium, locum ad eam rem destinatum, venit: inter quos & Lantgrauius Hassiæ prin-

cęps fuit. Fridericus autem ægritudinem si-
mulat, & in Sicilia sese interim continet. Illius
verò simulationis fraus sic nempè deprætensa
est. Cùm enim Lantgrauius Princeps graui
fortè morbo correptus Brundusii tūc periisset:
Fridericus, audita Lantgrauii morte, nihil planè moratus fictam corporis ægritudinē, Brundusium celerrimè adnauigauit: omnemq; Lantgrauii defuncti suppellectilem diripuit. † Proindè Gregorius, cognitis huius 297
Friderici fraudibus, Honorii tertii sententias in Fridericum anteà latas confirmauit. Dum hæc aguntur, Perusii degebat Pōtifex: Vnde Asisium petiit, ut quæ de Francisco, viro sanctissimo, prædicari passim miracula audierat, vera nè essent, præsens cognosceret. † Quā- 298
obrem re, vti audierat, cōperta, Diuū Franciscum in sanctorum album refert. † Intereà 299
Romam Gregorius rediens, tanta peste laborari vbiq; cœptum est, vt decimus quisq; vix superfuerit. Cæterùm Pontifex mira clemētia erga oēs cùm publicè tùm priuatim fuit: ut pecuniā quoq; erogando plurimos iuuerit, sitiq; solatus. Loca Vrbis subterranea purgari, nouaq; parari (salubrioris aeris causa) curauit. Valetudini vrbis atq; dignitati simul præclarè consuluit. † Subindè Reatinam ciuitatē adiēs 300
Beatum Dominicum, Matutinam vniuerso orbi præfulgentem ab vtero vsq; matris stel-

301 lis, sanctorũ ordini adscripsit. † Spoleti postea cũ diuertisset, Beatũ, Antoniũ cognomento Paduanum, ob crebra eius miracula, sanctorum confessorum ordini adnumerauit.
302 † At multis vexationibus & erumnis à Friderico illo secundo plus nimium agitatus, ad Cõcilium omnes Christiani orbis principes cõuocat: Enimuerò Fridericus, pro suo genio, vias terra mariq; ad Concilium venientibus præclusit. Cardinales tum aliquot & ecclesiæ Prælati in Mari, iubente Friderico, capti, in custodiaq; fuerè detenti. Quæ res impedimentō sanè fuit, quominus Concilium haberi potuerit. Postremò deniq; moritur Gregorius, Pontificatus sui anno xiiii. mense tertio.

Hic Gregorius sempiterna laude, & immortali gloria dignissimus, aureum illũ Decretalium librum, sine quo gens nulla sub cœlo, quæ crucis signum veneretur, honestè viuere posset, viris mortalibus clementer dispo-
303 suit, pieq; tradidit. † Quem veruntamen audacissimus, iuxtà & impius ille hæreticorum perniciosus princeps Islebius, Anno salutis Mundi 1517. Vuitimbergæ in Saxonia vna cum aliis Canonici Iuris codicibus, reprobauit, flammisq; palàm (sanctus etenim Pontifex nõ potuit malæ mentis hominibus placere) in foro temerè improbus consumpsit. Sed utut per Lutherum stolidè dãnato atq; fru-

strà exhusto Gregorii libro, perreceterunt ni-
hilominus Iurisperiti professores in ea regió-
ne (fremente irarum imponente Luthero) si-
cut anteà, vti: † siquidem illo libro, vniuersa 304
Germania in perorandis, judicandisq; in foro
causis, Gallia tota, Anglia, Hispania, Italia, &
quicquid hisce regionibus conterminum est,
minimè gentium carere posiint. Ad Celesti-
num venio.

Celestinus Quartus P. M.
Cap. CLVII.

SVccesit Gregorio nono, Celestinus quar-
tus patria Mediolanensis, vir moribus, &
doctrina insignis, senex admodum ac valetu-
dinarius. Qui, inito Pontificatu, Fridericum
secundum, tunc Fauentiæ ciuitatem obsidio-
ne oppugnātem, multis pollicitationibus de-
mulcere, & à maligno eius proposito reuoca-
re conatus. Sed priusquàm responderit, Fri-
dericus, diem functus est Celestinus, duo-
deuigesimo Pontificatus die. † Cui non prius 305
successor aliquis est datus, quàm sesquiannus
cum tribus mensibus præterierit. Causam ve-
rò diuturnæ huius vacationis Apostolicæ se-
dis Germani scriptores referunt, fuisse Cardi-
nales à Fridderico illo secūdo mari anteà ca-
ptos, & carceri inclusos. Qui protestati fue-
runt, nè noui Pontificis electio, ipsis absenti-

bus, fieret. Quorum protestationi acquieuere Cardinales reliqui tunc præsentes: utpotè cernentes, Friderici moribus atq; turbis totá concuti Italiam: indiesq; periculum ingruere maximum, nè Romam vrbem quoq; caperet.

Innocentius Quartus P. M.
Cap. CLVIII.

Substituitur tandem Celestino Innocentius quartus, Genua oriundus, ex Fliscorum familia suum genus Ducens. Hoc nuncio ad Fridericum secundum perlato, non est is magnoperè lætatus. Norat etenim virtutem viri, atq; animi magnitudinem: ideoq; Fridericus ipse, malæ mentis suæ conscius, respondisse fertur: bonum eius amicum Cardinalem, nunc ad Pontificiam dignitatem euectum, in acerrimum hostem permutasse. Innocentius ergò Pontifex Maximus creatus, Romam veniens magno omnium fauore suscipitur: Qui peractis coronationis suæ solennibus, mentionem de pace cum Friderico ineunda facit. Cæterùm, quum paratas sibi à Friderico insidias animaduertisset, ad Philippum Gallorum Regem, à quo honorificentissimè fuit exceptus,
306 Lugdunum se contulit. † Quo quidem in loco celebrauit Pontifex, Anno quippè Christi 1246. Concilium, vocatis publicè eo loci patribus, & aliis, quos interesse oportuit:

Fridericum cùmprimis; citatione legitima, admonens, ut Lugdunum ad Concilium veniret. † Sed longam nimis Friderici moram, 307
& fallendi propositum Pontifex, reliquiq; patres, grauiter ferentes, sententiam excommunicationis, depositionisq; in Fridericũ ipsum, Romanæ sedis persecutorem, tulerunt. Ad eam rem Fridericus ira & odio contra Põtificem incensus, necessariorum Pontificis ædes Parmæ, & villas speciosas funditus euertit: & Innocentium carminibus huiusmodi impetiit.

Roma diu titubans, uariis erroribus acta,
Corruet, & Mundi desinet esse caput.

Sed pius Pastor Friderico sic perappositè rescripsit.

Innocentius ad Fridericum.

Niteris in Cassum, nauem submergere Petri.
Fluctuat, at nunquàm mergitur illa Ratis.

Fridericus ad Papam.

Fata uolunt, Stellæq; docent, auiumq; uolatus,
Quòd Fridericus ego Malleus orbis ero.

Papa ad Fridericum.

Fata uolunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quòd tibi uita breuis, pœna perennis erit.

Cæterùm Fridericum iam mitto. Porrò Innocentius (Germani scribunt) nõ solùm multa in eo Lugdunensi Concilio utiliter Reipublicæ Christianæ tractauit negotia: verùm

etiam libros magna eruditione refertos conscripsit. Interpretationes ad vetus testamentum ædidit. Cõmentarios in Decretalium libros, canonicæ & ciuilis legis interpretibus apprime necessarios, doctissime cõposuit: aliaq; id genus volumina magno cũ fructu posteritati parauit.
308 † Heidemundũ Cantuariẽsem Episcopum Diuorum ordini adoptauit. Statuit omnium primus hic celeberrimus Pontifex, vt sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in publicum equis insidentes, prodituri:
309 † pileo rubeo vterentur: quò nempè & à cæteris differret, & se pro fide catholica, ac populi Christiani salute, ad effundendum sanguinem paratos esse debere, intelligeret. Præterea edicto etiam cauit: ut octaua Beatæ Virginis Mariæ in Ecclesia, solennibus officiis & precationibus, celebraretur.
310 † Petrum Veronensem, ordinis Prædicatorũ, ab hæreticis interfectum, in sanctos Christi Martyres retulit.
311 † Stanislaum quoq; Cracouiensem episcopũ, qui miraculis viuens claruit, beatorum Ordini iunxit. Postmodum à Proceribus Regni Siciliæ rogatus, Neapolim proficiscitur: Quo in loco moritur, anno sui regiminis vndecimo, mense secundo, die duodecimo.

✠

Alexander

Alexander quartus P. M.

Cap. CLIX.

ALexandrum quartum, natione Campanũ, post Innocentii obitum, Pontificem Maximum creant, concordibus votis, protinus Cardinales. Verebantur etenim Manfredi, filii Friderici secũdi ex concubina suscepti, vim ac tyrannidem: siquidem Manfredus, exemplo scilicet patris, Ecclesiæ rebus incubabat. Constitutus itaq; Pontifex Alexander, Manfredum illum confestim monuit, vt à rapina rerum Ecclesiæ sibi deinceps temperaret. Hic Pontifex beneficus fuit & liberalis, præsertim verò ergà Christi pauperes. Magnanimũ gessit animum, & consilio plurimùm valuit, Vnde libellos quosdam contra paupertatem à quodam æditos, perpetua damnatione aboleuit. Intereà cùm Manfredus nihilomagis ad Pontificis monita resipisceret, publica eum in concione, Ananiæ habita, excommunicauit. Et alios identidem tyrannos animosè persequi non dubitauit. Venetorum animos cũ Genuensibus conciliare summa ope contendit. † Per quietem beatum Augustinum quũ 312
vidisset, suadentem illi fratrum heremitarum vnionem, à prædecessore incohatam, impigrè perfecit: totumq; illorum ordinem, relicta heremo, vrbes incolere (quô & ipsi doctrinæ

verbo,

verbo, atq; vitæ exemplo, sicut reliqui, fructum in horreum Domini vberiorem adferrent) sapienter coegit.
313 † Claram Virginē Beatorum collegio in Anania ciuitate adnumerauit. Deniq; Viterbium ad pacem inter Venetos & Genuenses constituendam profectus, multumq; ob id vexatus, tædio animi confectus, tandem moritur anno sui regiminis septimo.

314 † Huius præclarissimi Pōtificis opera, necnon & Gregorii decimi, cura, atq; administratio Romani Imperii è Sueuorū domo ad Rudolphum de Habspurg, à quo Inclyta progenies Austriaca suum ducit genus, fuit translata. Causam verò illius sic factæ translationis, hoc sæculo non ignorari, operæprecium erit. Quam sanè ab ipso Alexandro Pontifice pulchrè explicatam in Epistola ad Sigefridum Magūtinum Archiepiscopum scripta Romæ in Registris eiusdem Alexandri nuper offendi. Epistolæ autem tenor huiusmodi est.

Alexander Quartus. S. Archiepiscopo Maguntino salutem, & Apostolicā Benedictionem.

Firma profectò consistit domus, quæ solidis est fulcita columnis: & ecclesia tunc multo stabilitur robore, quando cura prælatorum, virtute, ac constantia communitur.

Inter quos, quia honore ac potentia eminere dignosceris, conueniens est, & debitum, ut fauorabilius & vehementius eidem assistas Ecclesiæ: ac à te ipsa in oportunitatibus præsidia sentiat potiora. Quia si eius augetur status, & optatis proficit incrementis, vnà tu cum ea suorum profectuum participatione concrescis: & si (quod absit) aliquibus molestaretur aduersis, & sinistris pungeretur euentibus, suæ te molestiæ minimè præterirent, sed simul cum ipsa gustares suarum amaritudinem punctionum. Immò sicut locū in ea obtines magis conspicuum, & excelsum, sic plus te illius lætificaret prosperitas, & tribulatio conturbaret: nec ipsa, quæ plurimùm in tuis cōgaudet commodis, de tuis posset aduersitatibus grauiter non dolere.

Quanto autem affectu te ac alios Alemaniæ prælatos Romana semper prosecuta fuerit Ecclesia, quantisq; vos, & Ecclesias vestras, studuerit assiduè magnificare, ac præseruare fauoribus, clarè liquet: cùm nunquàm in beneficiis, & gratiis circa vos & ipsas ecclesias defecerit suæ irriguū largitatis: nec vsquàm vobis in necessitatibus ipsius defuerint auxilia: quæ vestri, tanquàm proprii, zelatrix honoris, indefessè curauit, quotiēs oportuit, vestris adesse negotiis: sicut promotrix sollicita,

& adiutrix per omnia ſtudioſa. Nec immeritò quidem, cùm & vos, inter cæteros, promptos cooperatores repererit, & præcipuos ſenſerit adiutores. Propter quod decet, & expedit, vt attentè pro ipſius vigiletis honore, quæ veſtris diligenter intendere vtilitatibus non deſiſtit.

Sanè intelleximus, quòd inſtat tempus electionis celebrandæ de Rege, in Imperatorem poſtmodum promouēdo: ſuper quo tāto propenſior adhibenda eſt diligētia & cautela, quanto altius & difficilius eſt negotium, quod geritur in hac parte, quantoq; res, ſi aliqua in ea interueniret negligētia, ſeu improuidentia, vel deſidia, deteriorem habere poſſet effectum, & exitum noxiorem. Vndè hic vehementer vigilādum eſt: hic perſpicaciter intuendum, hic conſiderandum prouidè, hic maturè deliberandum, hic prouidè præcauēdū, hic aperiendi ſunt oculi, hic habendæ ſunt aures intentæ, hic mens eſſe debet non rudis & torpens, ſed diligens, peruigil, & conſulta, vbi de aduocato Eccleſiæ agitur, de ipſius defenſore tractatur: nè pro aduocato impugnator, & pro defēſore aſſumatur vel eligatur offenſor. Quarè vndiq; ſummæ cogitationis præferenda eſt acies, & circūquaq; diſtricta explorandum indagine, ut talis (cooperante domino) reperiatur & eligatur, qui fidelis &

deuotus exiſtat, & de proſapia proceſſerit deuotorum: ac idoneus & ſufficiens meritò reputetur ad obtinendum tanti honoris culmẽ, & Imperii regimen exercendum.

Qualiter autem Fridericus olim Romanorum Imperator, & ſui progenitores, & posteri, erga Matrẽ Eccleſiam ſe geſſerint, & qualem ei retributionẽ pro beneficiis perceptis impenderint, patens eſt, & cognitum toti orbi. Quoniam hi, aliorum perſecutorum excedentes tyrannidem, grauioribus eam affecerunt iniuriis, & oppreſsionibus durioribus afflixerunt: & velut intendentes exterminiũ, tendẽtes furentis arcum, & feritatis gladium acuentes, diris illam vbilibet tribulauere flagellis, & vſq; ad interiora profundis illatis vulneribus ſauciarunt. Nam in hoc prauo genere, patrum in filios cũ ſanguine deriuata malitia, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operũ nati genitoribus ſucceſſerunt. Ex quo liquidò perpendi poteſt & coniici, ſi ex ipſo aliquæ poſteritatis reliquiæ remãſerunt, quid ſperandum ſit in futurum de illis, quid in poſterum expectandum. Vitæ nãq; ac geſta prædeceſſorum peruerſa iniquitatẽ prænuntiant ſucceſſoris. Horribilis enim, & ſcæleſta illorũ memoria, quid boni de ipſorum poſteritate credere, vel ſperare permittit? De colubro quidem egreditur regulus, & arbor mala no-

xios fructus profert, prauumq; principium nullum bonum pollicetur effectum. Et ideò de Conrado puero prædicti Friderici secundi filio est præcauendum omninò, nec vllo modo intēdatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur: maximè cùm propter infantiam, nimiumq; defectum ætatis, & ad ista prorsus inhabilis, ac ineligibilis penitus. Puer ipse est, nec ius, quod ex electione prouenire vel consurgere consueuit, sibi posset competere, nec in sua cadere vel retinere persona: cùm propter puerilem ætatē, quæ discretione caret, & legitimum consensum vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem.

Et ex eo etiam idem puer in Regem eligi vel nominari nō debet: quia cùm per electionem huiusmodi de aduocato vel defensore idoneo debeat ecclesiæ prouideri: & ipse puer sit, omnimodò ineptus & inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequēdum: oporteret eandem Ecclesiam, si cōtingeret, eligi dictum puerum, manere diutius, non absq; grauibus fortè dispendiis, defensionis commodo destitutam. Nec per hoc etiam consuleretur amplo & spacioso regno Theutonico de Rege vel Rectore condigno:

cùm male poſsit alios regere, qui non nouit gubernare ſe ipſum: nec benè vel dignè aliorum gubernaculo præeſſe valeat, qui regimine ducitur alieno, & cui, propter tot patentes defectus, neceſſaria eſt alterius cuſtodia, & tutela. Propter quod, Regnum ipſum longo tempore, nõ ſine multo diſcrimine, ſub operoſa regiminis expectatione langueret.

Ideoq; fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attentè, ac per Apoſtolicam auctoritatē tibi. ſ. in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub debito fidelitatis, quo nobis & Eccleſiæ Romanæ teneris, ac ſub pœna excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, diſtrictè præcipiẽdo mandamus, quatenus præfatum Conradum puerum nullatenus in Regem eligas, nec nomines, neq; conſentias in eundem: Itaq; excommunicatus exiſtas, ſi contra mandatum noſtrum facere vel venire præſumpſeris, & eundem Conradum nominaueris, vel elegeris, aut in ipſum conſenſeris, ſeu opem, vel operam, conſilium, auxilium, vel fauorem, ut eligatur, impenderis: & etiam ſi eius electionem non impediueris toto poſſe; ut ſi fortè ad ipſius electionem, vel nominationem proceſſeris, ſcias te prius excommnuicatione ligatum.

Aliis verò coelectoribus tuis, tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, auctoritate noſtra

firmiter

firmiter inhibeas, nē ipsum ad hoc nominēt, vel eligant, nec in eum consentiant, promulgādo, eadem auctoritate, in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire tentauerint, immò nostram. Ita quòd si eum nominare, vel eligere, aut in ipsum consentire, præsumpserint, noscant, se prius excōmunicationis vinculo innodatos: vt ex hoc ipso (si de prædicto puero quicquī in hac parte attentatum fuerit) sit prorsus vacuum, irritum, & inane. Mandatum itaq; , ac præceptū super hoc Apostolicum sic fideliter, sapiēter, & efficaciter, adimplere studeas, omnem opē, & operam, adhibeas, ut aliquis fide clarus, & deuotione syncerus, cui ad id suffragentur merita, eligatur, quòd ex iis nos & Romanam ecclesiam tibi & Ecclesiæ tuæ arctius obliges: nosq; lætari possimus id, quod intendimus, tuo solerti studio salubriter prouenisse. Ad hæc, nihilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus. Quam per te, antequàm ad nominationem, vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis coelectoribus præcipimus nuntiari. Quod si non feceris, eo ipso te noueris

laqueo

laqueo excommunicationis aſtrictum. Datū Ananiæ V. Kal. Auguſti Anno Pontificatus noſtri ſecundo.

† Ex quibus quoq; Alexandri literis (ſi non 315
etiam aliundè aliàs) planè conſtat, quantis beneficiis Germanos ſemper Apoſtolica Sedes Romana affecerit: quantauè cura, & ſollicitudine, Germanorū ſtuduerit honori, & cōmodis: quàmq; inuigilarit hoc loco aſsiduè, nè puer ex diſcolis prognatus parētibus Germanico præficeretur Regno. Ideoq; iuſsi Imperii electores à ſummo omniū Principe Chriſti Vicario, propriam negantes voluntatem à malo electionis conſilio abſtinuerunt: & Rudolphum de Habſpurg in Romanorum Regem poſt longam deniq; deliberationem elegerunt. Ad hæc, erexit bonus iſte Pontifex anno ſui Pōtificatus quarto vniuerſale Gymnaſiū in Regno Nauaræ, in oppido, de Tutela, nuncupato, Tyraſenenſis dioceſis, vti Romanus continet Regiſtrorum Archetypus. Sed Germanos hiſtoricos repeto.

Vrbanus quartus P. M.
Cap. CLX.

SVbſequitur in ordine Alexandrum Vrbanus quartus natione Gallus, patriarcha Hieroſolimitanus, obſcuris aliàs parentibus ortus. Qui elegantia linguæ plurimum valuit.

luit. † Hic dicere solitus est: nobilem virum non nasci, sed fieri, verae virtutis & nobilitatis esse. Suscepto igitur Pontificatu, eandem Manfredi, quam Alexander passus fuerat, & ipse experiebatur tyrãnidem. Quare ex Galliis milites accersiuit: quos Manfredo obiiceret.

317 † Auctor ipse fuit magnae solennitatis corporis Christi: quae etiamnùm à Catholicis Christi fidelibus vniuerso in orbe Christiano summa veneratione quotãnis in Ecclesia Dei celebratur. Cogitauerat Vrbanus à Manfredi aliorumq; tyrannorũ vexationibus se aliquando liberare: idq; sanè ope & auxilio Ludouici Gallorum Regis, ad quem legatos hac de re iam miserat, necnon & Caroli Andegauorum Comitis, confecisset: nisi mors intempesta praeproperè intercessisset. Obiit itaq; Perusii post annum sui Regiminis tertium, mensem vnum, die quarto. Vacat tum sedes menses quinquè.

Clemens quartus P. M.
Cap. CLXI.

Clementem quartum, patria Narbonensem, ex pago sancti Egidii oriundum, in legatione Anglica absentem, sacer Cardinaliũ ordo, ob viri sanctitatem, atq; eruditionem, Pontificem Maximum creant. Is enim inter Galliae totius Iureconsultos primarius fuit.

Præstantem aduocatum in Regia Frãciæ curia cum laude egit. Vxorem habuit: ex qua & prolem suscepit. Enimuerò Vxore defuncta, Podiensis primo Episcopus, dein Narbonensis Archiepiscopus, demùm Cardinalis & Sabinensis simul Episcopus fuit. Cardinalẽ itaq; celebri fama, & rerum agendarum exercitatione, commendatum, Vrbanus Pontifex in Angliam ad componendas lites inter Henricum Regem, & Simonem Montisfortis Comitem, Regis consobrinum, ablegauerat: quando interueniente Vrbani morte, Cardinali huic legato Põtificia dignitas, concordibus omnium votis, accessit. Clemente igitur Pontifice declarato, Manfredi insidias ipse veritus, religiosi mendicantis habitu indutus, Perusium incognitus venit. Quò accersiti Cardinales, eum deduxerẽ Viterbiũ. Vbi parare cepit, quæ Caroli Andegauensis aduẽtui, contra Manfredum, commoda fore iudicauit. Quamquàm Carolus non multò post Massilia soluens cum xxx. triremibus mari Romam per Tyberim aduolarit. Clemẽs autem (ut vita illius è Germanorum monimentis delineemus) doctrina, pietate, religiõe, humanitate, modestia, & charitate, erga proximum, & Christi pauperes, cumulatè ornatus: † bona ecclesiæ ità prudenter erogauit: 318
ut plus Deo, quàm affinibus vel cognatis, tri-

buendum planè putauerit. Duas is habuit ex
prædefuncta vxore filias: quarum vni Mona-
sterium ingressæ triginta libras paruorũ thu-
ronẽsiũ monetæ, pro eleemosina, dedit: alteri
verò, quæ viro pari nupserat, trecentas dũta-
xat libras thuronẽsiũ, dotis nomine, adnume-
rari voluit: hac nempè iniuncta prohibitione,
319 ne quicquàm ampliùs posthac peteret. † Ha-
buit & nepotem clericum: cui, ubi comperit,
tres illum habere præbendas: quas canonica-
tus vocant: optionem dedit, vtr quam ex tri-
bus mallet, eam vnam haberet: reliquas omit-
teret. Atquî rogantibus amicis, vt nõ solùm
quas habebat nepos præbendas, illi permitte-
ret: sed eum pluribus etiam atq; maioribus
augeret: respondit vir sanctissimus: se Deo,
non autem carni & sanguini victurum: Deũ
sanè ita velle, ut sua in pias causas distribuerẽ-
320 tur: † neq; illum esse dignum Petri successo-
rem, qui plus cognationi, quâm pietati, &
Christo, tribueret. Delectabatur mirè Pon-
tifex lectione Bonauenturæ. Reliquum vitæ
suæ tẽpus ieiuniis, orationibus, vigiliis, aliisq;
pietatis operibus transegit. Hiscè tãdem lau-
dum præconiis ornatissimus, decessit vir san-
ctissimus, post annos sui Põtificatus tres, mẽ-
se nono: magno de se apud omnes relicto
desiderio. Post Clementis obitum contentio
inter Cardinales exorta est: quemnàm Cle-

menti successorem dignum reperire possent. † Ob eã nimirùm rem sedes biennium vacauit. 321
Illud quoq; ad pietatis gloriam Sanctissimi Pontificis accedit, quòd cùm olim graues & diuturnæ dissensiões essent inter Belã, Hungariæ Regem, & Stephanum Ducẽ Trãsyluanum, ipsius Belæ filium primogenitum: auctor fuit probus hîc Pontifex pacis inter ipsos Reges demùm sequutæ, in Insula Beatæ Virginis, Anno salutis Mundi 1266. Quam quidem pacem idem Clemens, ab vtrisq; Regibus per literas et Nuncios rogatus Anno suæ sedis secundo Viterbii lubens confirmauit: vti Romanus Registrorum eiusdem Clementis nobis indicat Archetypus.

Gregorius decimus P. M.
Cap. CLXII.

GRegorius decimus, ciuis Placentinus, è Vicecomitum familia, Mediolano olim pulsa, suum ducens genus, in Asia tùm existens Pontifex Maximus est designatus. Vir quippè in omni vita clarus: in rebus gerendis prudens: animi fortitudine pollens. Qui pecunias & rerum humanarum conditionem facilè despexit. Humanus fuit ac benignus erga Christi pauperes, & eos præsertim, qui ad gremiũ Apostolicæ sedis confugiebant. Huic studia pacis cordi semper fuere. † Ideoq; su- 322

sceptо munere pontificio, Genuenses & Venetos, magnis inter se cladibus pugnantes, inuicem conciliare studiosius curauit. Quarê Francorum Regis Philippi ad eam rem prudentia vsus, pacem inter illos populos ex sen tentia confecit. Florentiam dein cum Carolo Siciliæ Rege profectus, exules factos Sueuorum Imperatorum opera ciues, in patriā cōsilio & ope Caroli Regis vsus, reduci curauit.
323 † Indè Lugdunum abiens generale Conciliū illic celebrat. Ad quod inter alios Paleologus Imperator Constantinopolitanus accesit. Vbi & Rudolphus ab Imperii electoribus Ro
324 manorum Rex est designatus. † Quorum electioni ea nimirùm ratione annuit præstantissimus Pontifex Gregorius, vt electus Rudolphus sequenti anno Romā pro suscipiēda Imperii corona pacificus accederet. Id quod posteà Rudolphus, Bohemico bello implicitus, minimè præstitit. Proindè rebus in Concilio benè gestis, Gregorius Italiā versus iter arripit. Et quum Bellocadorum peruenisset, Alphonsum Castellæ Regem inibi offendit: qui grauiter questus est, Rudolphum ad Imperium, ipso Alphonso neglecto, fuisse desti-
325 natum. † Verùm Gregorius Regem multis placauit: & ius, quod sibi ea in re deberi Alphonsus putabat, Rudolpho pridem electo planè cesit. Cumq; Aretiū sanctus, summaq;
dignus

dignus veneratione, Pontifex perrexisset illic diem claudit extremũ: anno suæ administrationis quarto, mẽse secundo, die decimo. † Qui & post obitum frequentibus apud sepulcrum suum miraculis claruit. 326

Innocentius quintus P. M.
Cap. CLXIII.

GRegorium decimum sequitur in ordine Pontificum Innocentius quintus, genere Burgũdus, in sacris literis egregiè versatus, in theologum insignem euasit: qui & ordinis sancti Dominici fuit. Renunciatur is Aretii Pontifex. A quo Florentini per legatos solẽnes Romam ad eum missos absolutionem ab excommunicatione, & interdicto, impetrarunt. Venetos & Genuenses, rursum inter se altercantes, in officio & pace continuisset: nisi improuisa morte sublatus fuisset. Vixit quippè in Pontificatu menses quinq;, duobus diebus. Qui, anteaquàm summa Pontificatus dignitas sibi accesisset, concionando & scribendo maximam sibi Parisiis comparauit auctoritatem. Et quũ doctissimus esset, multa in sacris codicibus vtiliter enodauit: atq; in sententiarum libros præclara quædam quoq; ædidit.



Hadrianus

Hadrianus quintus P. M. Cap. CLXIIII.

HAdriano quinto, post Innocentium, munus Pontificium defertur. Hic Genuensis fuit natione, ad Fliscorum familiam suũ genus referens. Vir magno sanè animo fuit: qui, ut Caroli Andegauensis potẽtiam minueret, ad Rudolphum Cæsarem in Germaniam misit: ac vt staret promissis Gregorio decimo factis (Gregorio enim Lugduni promiserat, se in Italiam pro corona Imperiali suscipienda breuì vẽturum) petiit. Cæterùm Rudolphus bello Bohemico implicitus, Imperii iura spernere videbatur. Tutiorẽ quippè Italiam à Carolo & aliis tyrannis Hadrianus reddidisset, cõstitutionemq; de nouo Pontifice eligẽdo, in meliorem formam redegisset: atq; alia vir forti animo præclarè confecisset: si modò ei diuturnior vita fuisset. Vixit in Pontificatu ad quinquagesimum duntaxat diem: vel, ut alii scribunt: ad quadragesimum tantum. Vacat tum Petri sedes viginti octo dies.

Ioannes vigesimus primus P. M. Cap. CLXV.

IOannem vigesimum primum, natione Hispanum, Vlixbona oriundum, professione medicum, Hadriano defuncto subrogant

Cardinales. Vir ipſe doctus alioquin fuit, & doctorum quoq; amantiſsimus: licet rerum gerendarum ignoratione,& morum inæqualitate, viſus ſit leuis fuiſſe. Ferunt, hunc Medicum Hiſpanum ante Pontificatum multa ſcripſiſſe: præſertim verò canones quoſdam Medicæ arti conuenientes: atq; etiam librũ, quem Medici theſaurum pauperum vocant. Problemata quædam ad imitationem Ariſtotelis ab eo ſunt ædita. Pontificatu ſuſcepto, prima illi cura fuit, Michaelem Paleologum ad ſeruandum promiſſa in Lugdunenſi Concilio facta hortari. Cæterùm Paleologus tergiuerſabatur ſplẽdide: dùm intereà Ioannes ruina cubiculi,quod recens extrui curauerat, Viterbii opprimitur, poſt octauum à delato Pontificatu menſem.

Nicolaus tertius P. M. Cap. CLXVI.

Nicolaus tertius, patria Romanus ex nobili Vrſinorum familia genitus,ad Pontificium munus poſt longam Patrum deliberationem vocatur. Fuit Nicolaus animi & corporis dotibus præſtantiſsimus. Porrò multa fecit: Plurima tentauit:quæ prudentiã ipſius, & animi magnitudinem planè declararunt. Nihil enim in toto eius Pontificatu antiquius duxit,quàm Caroli Siciliæ Regis vires debili-

tare: Id quod ſua ingenii dexteritate effecit. Nàm quum Bertholdum Vrſinum, eius nepotem, Romandiolæ comitem declaraſſet:
327 † eundem, auctoritate Rudolphi Cæſaris & fauore, ad ipſam Romandiolæ prouinciã pro
328 eccleſia recuperandã haud fruſtrà miſit. † Eccleſiæ Romanæ tum quoq; Bononia reddita eſt. Ad hæc, latinum Cardinalem, alterum ipſius Pontificis ex ſorore nepotem, in Hetru-
329 riam Apoſtolicæ ſedis legatum miſit. † Is latinus, vir præſtantiſsimus, Auunculi Pontificis virtuti egregiè reſpondens, omnem Hetruriam Eccleſiæ recuperauit, pacatam & turbis liberam, eccleſiæ verò Romanæ ſubiectã, fugatis Gibellinis, planè reddidit. Magiſtratuſq; illi, eccleſiæ nomine, dedit. Fuit Nicolaus vir magni conſilii, doctorum virorũ patronus: in partiendis dignitatibus, communis omnibus & æquus. Idcircò Albanum ex ordine minorum, Oſtienſem, & Portuenſem de ordine prædicatorũ, ad Cardinalicios promouit honores. Cinxit Viridarium ſancti Petri muro. Baſilicas ſanctorum Petri & Pauli inſtaurauit. Legitur neminem ante ipſum ſacrificaſſe religioſius eo. Qui quoties ſacrum faceret, illachrymabatur. Erat religioſiſsimus Nicolaus: tametſi nota carere non potuit: quòd propinquos ſuos nimis amarit: quibus & multa donarit. Moritur tãdem anno Pon-

tificatus tertio penè exacto, correptus apoplexia.

Martinus quartus. P. M.
Cap. CLXVII.

SVbstituunt in Pontificatu Martinũ quar-
tum Cardinales, natione Gallum, patria
thuronensem. Qui amicissimum Regem Si-
ciliæ Carolum in occursum quum haberet, ad
Senatoriam dignitatem, qua fuerat à Nicolao
priuatus, restituit: ipsoq; Carolo suadēte, Pa-
leologum Imperatorem Constantinopoli-
tanum, promissa in Lugdunensi Concilio
non seruantem, necnon & Petrum Arago-
nium Siciliam occupantem, anathemate
percussit. † Perusinos quoq; ob eruptionem 330
& depopulationes in vicinos æditas, Martinus
excommunicauit. Quos tamen demùm in-
genti ære mulctatos Ecclesiæ restituit. Bellum
deindè in Flaminia aduersus Foroliuiēses, qui
ab ecclesia defecerant, gessit. Quos etiā pau-
lò post, Guidone Montis Ferretri adiuuante,
in fidem, atq; tutelam recepit. Cùm verò Vr-
beuentani ciues, apud quos Pontificiam co-
ronam initio susceperat, & tunc quoq; mora-
batur, ciuilibus dissensionibus (Gibellini .n.
Guelphos vi de vrbe expulerant) omnia com-
plerent: illinc Perusium Martinus discessit:
Vbi non multò post febricula diu laborauit:

qua et postremò occubuit, post annum sui
331 Pontificatus quartum, mense primo. † Ad cuius sepulchrũ multi valetudinarii posteà delati, meritis sanctissimi Pōtificis Martini, pristinam sanitatem à Deo Opt. Maximo recepere. Vir ille bonæ mentis fuit: & omnia in suo Pontificatu cum sanctitate gessit.

Honorius quartus P. M.
Cap. CLXVIII.

HOnorius quartus, ciuis Romanus, Sabello sanguine natus, Pontifex Maximus Perusii creatur. Romam veniens apud sanctam Sabinã in Auentino habitauit. Fouit hic Pontifex Regum Gallorũ per omnia partes. Nàm innumerabilia propemodum priuilegia Phi-
332 lippo Franciæ Regi concessit. † & Rudolpho ab Habspurg, Romanorum Regi, terminum ad suscipiendam Romæ de manu Pontificis coronam assignauit: quemadmodum in Registro huius Pontificis Romano est videre. Sed historiam ex Germanis repeto. Fuit autẽ vir in omni eius vita probatus & Christianæ
333 religionis amans. † Ordinem Carmelitum, non satis in concilio alioquî probatum, permutatis in albas clamydibus nigris, confirmauit. Vnũ tantũ in suo Pōtificatu, Ioannẽ Boccamatium, ad Cardinalatus honores promouit. Dicere Honorius est solitus: viros bonos

& doctos, nō etiam rudes, & rerum humanarum imperitos, tanto Cardinaliū senatui esse cooptandos. Cæterùm quòd armis à Guidone Feltrano in Flaminia vexaretur: animū rei bellicæ adiecit. Qua in re Feltranum ipsum superauit: totamq; Flaminiam breui in potestatem redegit. Nō diu post moritur Honorius, Pontificatus sui anno secundo, die primo. Vacauit tum sedes mensibus decē. Quoniam apud sanctam Sabinam in Auētino, vbi & Honorius obiit, & comitia, de nouo Pontifice eligendo habebantur, Cardinales permulti repentina corporis ægritudine grauiter laborare cœperunt.

Nicolaus quartus P. M.
Cap. CLXIX.

IN sede Petri Nicolaus quartus, natione Picænus, Asculo oriundus, ordinis minorum frater, per hæc tēpora collocatur. Is Pōtifex Maximus renunciatus, ad Reatinam ciuitatem cum curia tota confestim se cōtulit. Indè post annum Romam petens, apud sanctam Mariam Maiorem habitauit. Honoribus purpuræ Monachos ex omni penè ordine donauit. Omnes etenim ex æquo dilexit. Porrò non plus se debere affinibus suis & cognatis, quàm ciui bono, arbitrabatur. Basilicam Sanctæ Mariæ Maioris, auxilio etiam Cardina

lis Iacobi Columnenſis, reſtituit. Baſilicam quoq; Lateranenſem ea, qua oportuit, parte inſtaurauit. Sub hoc Pontifice, viro quippe bono, infælicia plura orbi Chriſtiano acciderunt. Vrbs Roma ciuilibus agitata diſsidiis, ciuium cruore maduit: funeſta ædificiorum incendia vidit. Tripolim Sultanus ferro, atq; igni deleuit. Vnicum tantùm in huius Pontificatu fuit ſolatium: pax nempè inter Arago-
334 nios & Gallorum Reges conſtituta. † Vniuerſitatem, ſiuè Gymnaſium generale in Monte Peſſulano, quod hodiè omnibus celebre eſt, Apoſtolica auctoritate erexit hîc Nicolaus, anno ſui Pontificatus ſecundo. Literarũ verò erectionis tenor in ſacra Archiui æde apud Vaticanum etiamnùm legitur. Quarto deindè Pontificatus Nicolai anno Rudolphus ab Habſpurg, Cæſar Germanus, moritur: Adolphusq; in eius locum aſſumitur. Nicolaus autem tædio animi (ut quidam putant) quòd malè omnia ſibi cedere videret, Pontificatus ſui anno quarto, mēſe primo Romæ ex hac vita migrauit. Vacat tum ſedes biennium, menſes tres.

Celeſtinus quintus P. M. Cap. CLXX.

CReatur Pontifex maximus, Petrus Moroneus, patria Eſernienſis, profeſsione Anachorita:

chorita: Cui, Celestino quinto, nomen indi-
tum fuit. Incoluit Cœnobiū vir iste à Sulmo-
ne distans secundo milliario: qui, Carolo Sici-
liæ Rege, & Latino Cardinali, auctoribus, Pō-
tifex, ut dixi, eligitur. Decreto itaq; electionis
de se factæ, hortante Carolo Rege, assensit.
Cardinalibus proindè accersitis, in Aquila
Ciuitate consecratur: duodecimq; è vestigio
creat inibi Cardinales. Seruabat autem Cele-
stinus idem vitæ genus, eandem normam, atq;
austeritatē, in qua antehac multos annos he-
remita fuerat versatus: paucis extrinsecus di-
gnitati concessis. Sed ipse modicam, vel om-
ninò nullam, rerum experientiam calluit: &
senilis corporis imbecillitas eum ab actione
repulit. Ideoq; Aulicorum dolis tanto magis
expositus fuit. Hinc nimirùm multa, quæ cœ-
pta erant, ilicò omitti: & pleraq; vicissim per-
peràm, ac sordidè fieri, cœptum est. Vocife-
rabantur pleriq; palàm, perniciosas esse Viri
insensati ineptias: Quæ omnia sancto viro re-
nunciata hortamento fuerunt, ut Pontificiæ
dignitatis graue onus deponeret. Pontificis
consilium quum ad Carolum Regem deferr-
retur: ipsum permouit, vt Cœlestinū, Regni
sui decus charissimum, Neapolim duceret.
Quo sanè in loco Rex Pontificem à proposi-
to auerti posse sperabat. Verùm Cœlestinus,
suasu Benedicti Cardinalis Caietani, imparē
se

se iniuncto muneri planè iudicauit. Ideoq;
constitutionem protinus addidit: qua Pontifi-
ci Romano, abdicare se magistratu, licere de-
335 clarabatur. † Tùm haud multo post, conuo-
cato Cardinalium Collegio, Pontificatu, quē
plus minus sex mensibus administrauerat, se
prorsus abdicat: potestatemq; alium substi-
tuendi Cardinalibus facit. Post non multos
dies Benedictus ille, Cardinalis Caietanus, in
summum Pontificem eligitur: Cui Bonifacio
octauo nomen posteà fuit. Petrus verò Mo-
roneus ad heremū clam rediens, missis à Bo-
nifacio equitibus, de intinere ad arctam cu-
stodiā arcis cuiusdam Campaniæ retrahitur.
Siquidem Bonifacius, vir ipse astutus, nè po-
puli Petrum potius Moroneum, ob sanctita-
tem conspicuum, quàm ipsum doctrina ela-
tum, pro Vicario Christi deinceps agnosce-
rent. Enimuerò custodiæ asperitas accelerasse
se bono viro mortē, credita est. Sunt qui scri-
bant, Moroneum miraculis post mortem cla-
ruisse, ac propterea ad sanctorum album à
Clemente quinto relatum.

Bonifacius octauus P. M.
Cap. CLXXI.

IS erat Christi Redemptoris annus 1294.
quando Neapoli Bonifacius octauus, di-
misso per Celestinum quintum Pontifica-

tu, ex Campania oriundus, ciuis Anagninus, ad summum Pontificatus gradum in Vigilia Natalis Domini euehitur: Vir quippè doctrina, & rerum cognitione insignis: Diu siquidē in Romana curia versatus, per omnes dignitatum gradus eò tandem peruenerit. Nonnihil tamen ambitionis notam haud vitauit: quòd dum ageret Cardinalem, Pontificatum auidè nimis præoptauerit. Suscepto Pōtificatu, laude dignū præstitit: † quòd celebritates Apo- 336
stolorum, Euangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum, instituit. Ludouicum filium Caroli secundi Siciliæ Regis, de regia stirpe Gallorum natum, ordinis minorum, ob eius ædita miracula, in Beatorum ordinē retulit. In iure Pontificio celeberrimum codicem, cui sexto nomen est, sapienter ædidit. † Eu- 337
gubium ciuitatem, quæ Gibellinorum motibus ab Ecclesia defecerat, breuī recuperauit. Studiosus fuit hic Bonifacius pacis & tranquillitatis inter Germanos & Gallos: † proptereà Alberto Romanorum, & Philippo Fran- 338
ciæ, Regibus, suo iure præcepit, nè alter alterius ditionis fines attingeret, sicut in Registro huius Bonifacii Romano, cernere est. Ad Germanicam redeo historiam. † Alberto Du- 339
ci Austriæ, in Romanorum Regem electo, cōfirmationem Imperii bis, terq;, quaterq;, Oratoribus missis, petenti negauit: quamquàm

postmodùm ad æmulationẽ Philippi Francorum Regis toties petitam confirmationẽm
340 semel tandem concesserit. † Iubileum singulo quoq; quinquagesimo anno, necnon & centesimo haberi statuit. Quamobrem quum tunc verteretur annus Christi 1300. tanta vndiq; hominum multitudo Romam confluxit: vt per vrbem amplissimam vix quisquàm, præ hominum frequentia, incedere
341 potuerit. † Franciæ regnum, propter violatum à Philippo Rege in personam legati Pontificii ius gentium, Alberto Imperatori adiecit: ut vna eademq; opera Philippum regno Bonifacius priuauerit: Alberto autem Imperii titulos & Franciæ Regnum simul contulerit. Philippus verò tanta à Bonifacio affectus
342 molestia, Saram Columbensem, anteà à Pontifice eiectum, atq; alios Gibellinos, in Bonifaciũ excitat: vt noctu Anagniæ in paternis ædibus, nihil tale sibi Pontifex metuens, ab his caperetur. Captus itaq; Bonifacius Romam perducitur: vbi intra quartum & vigesimum diem, dolore animi confectus, interiit: Pontificatus sui anno octauo, mense nono, die decimo septimo.

Benedictus Vndecimus P. M.
Cap. CLXXII.

INteritus Bonifacii visus est cõmonefacere

Cardinales, ut primo quoq; tẽpore noui Pontificis electioni studerent. Quarè Perusium profecti, intra duodecimum diem Benedictum vndecimum, patria Taruisianum, ordinis prædicatorum, Pōtificem Maximũ creāt. Hic Benedictus à primis eius annis religionẽ prædicatorum ingressus, tantum profecit, quòd Generalem (quemadmodum vocant) Vniuersus Monachorum ordo illũ haberet, subindè Cardinalis Ostiensis fieret. Vir quidem summo Pōtificatu dignissimus: qui magnum breui suæ virtutis exemplum ædidit: Sic nanq; porrò vixit: ut post mortem inter beatos meritò habitus sit. Is Guilielmũ Gallicum quendam, vnà cum nonnullis aliis, propter captum olim Bonifacium octauum, excommunicatos esse declarauit. † Philippo regni Franciæ titulum, libertates, & priuilegia, per Bonifacium pridem ablata, restituit. Ioānem & Iacobum Columnenses à Bonifacio dudùm eiectos, in gratiam recepit. Voluta- 342
bat animo sanctissimus vir, Italicas res pace & tranquillitate componere: deindè aduersus Tartaros, Syriam, & Palestinam, ingressos expeditionem parare. Ad quam rem commodius peragendam, Perusium versus profectionem instituit. Verùm eò vbi peruènit, morbo correptus obiit post octauum mensem sui Pontificatus, die decimo septimo.

Sepelitur

Sepelitur ibi magna funeris pompa in Ecclesia prædicatorum. Vacat tum sedes Petri mēses vndecim.

Clemens quintus P. M.
Cap. CLXXIII.

CLemens quintus, natione Vasco, Burdegalensis Episcopus, a Cardinalibus Perusii congregatis, & ciuium Perusinorum impetu compulsis, post longam variamq; disceptationem, absens in summum Pontificem eligitur. Qui decreto electionis apud Burdegallam accepto, Lugdunum proficiscitur, illucq; ad se literis Cardinales vocat. Obediunt
345 Cardinales; † & curia Romana in Galliā transfertur: Vbi septuaginta quatuor annos, aut verius septuaginta duos, non absq; multis Ecclesiæ Dei præuaricationibus, & incommodis, tum demùm fuit: Siquidem ea translatio plurima Populo Christiano intulit detrimēta. Coronationi Pontificis Lugduni habitæ interfuerunt Philippus Rex Frāciæ, Carolusq; eius frater ex Italia pridem reuersus, Ioannes Britanniæ Dux, & omnis reliqua totius Galliæ nobilitas. Dum autem nobilissima hæroum cohors per ciuitatem magna Pompæ celebritate incederet: murus ex tempore corruit. Cuius sanè casu Britanniæ Dux, vnà cum pluribus aliis inferioris ordinis hominibus, inte-

riit. Carolus Regis frater debilitatus, et Pon-
tifici ipsi in turbam delato Pontificium Re-
gnum de capite excidit, vt Iaspidem precio-
sissimum eius mitræ perdiderit. Promouit
Clemens tot Gallicæ nationis viros ad purpu-
ræ honores: vt quis facilè coniicere potuerit,
Potificem Romanum non, nisi Gallicum, de-
inceps futurũ. Ioannem verò & Iacobum Co-
lumnenses pristinæ dignitati restituit, & Car-
dinalicio gallero ornauit. Cæterùm verò, nè
Romani absentiam Pontificiæ curiæ diutur-
niorem ægrè ferrent, tres Cardinales, quibus
senatorii muneris potestatem tribuit, Romã
ablegauit. Quorum nutu ipsa Roma, & vni-
uersa deniq; Italia gubernabatur. † Pontificis 344
iussu, Dulcini & Margaritæ hæresis, qua ma-
res & fœminæ simul indiscriminatim habitã-
tes, apud Nauarienses in fœditatem veneris
promiscuè volutabãt, igni, & gladio fuit sub-
lata. Templariorum religionem Clemens pe-
nitus aboleuit. † Venetos, quia Ferrariam sibi 345
occuparant, anathemate percussit, sacramen-
taq; illis prohibuit. † De Florentinis & Lucẽ- 346
sibus, qui expugnare Pistorium ciuitatem, ad
Pontificis Imperium, desistere noluerũt, ea-
dem desumpta est vltio. Posteà verò Clemẽs
ad componendum Ecclesiæ statum animum
appulit. † Concilium proinde inter pleraq; 347
alia anno 1311. Viennæ, ciuitate Narbonensis
Galliæ,

Galliæ, generale habuit. Cui plures quàm trecenti Episcopi, præter alios prælatos, interfuere. In eo Concilio Petrum Moroneum, cui in Pontificatu Cœlestino fuerat nomen, inter sanctos confessores retulit. Perutilem Clementinarum librum, à se aliàs compositũ, in eo promulgauit Concilio. De subueniendo Hierosolimorũ rebus afflictis, sæpius Clemens tum in Concilio mentionem fecit. Sed cum varijs corporis ægritudinibus conflictatus, octauo tandem suæ Sedis anno, mẽse decimo, die decimo quinto, ex hac vita migra-
348 uit. † Caret tum sedes Petri pastore annos duos, menses tres, dies septem decim. Non satis etenim Cardinalibus constabat, quem potissimum ad id muneris deligerent. Neq; illis temporibus dissensio minor fuit inter Imperii electores, qui mortuo Henrico septimo, quem ad Imperium eligerent, habere non satis videbantur.

Ioannes vigesimus secundus P. M.

Cap. CLXXIIII.

AD Ioannem vigesimum secundum Caturcensem summus Pontificatus, post diutinam viginti trium Cardinalium altercationẽ, Lugduni in Monasterio fratrum prædicatorum defertur. Is Pontifex, suscepta de more Pontificia corona, Auenionem cum omni

curia contendit. Vbi octo Cardinales in ieiuniis quatuor temporum aduentus Domini creauit: † Ludouicum Bauarum in Regem 349
Romanorum electum, tantum àbest, ut confirmarit, quòd etiam exautorauit: quia multa in Fridericum, eiusdem Ludouici consobrinum, & in electorum quoq; discordia ad Imperiũ electus, præter fas iusq; admisisset: atq; plura de Imperio ante Pontificis cõfirmationem concessisset, administrasse tuè, quæ veri, ac legitimi Imperatoris potestatem excederent. Vir vtiq; doctissimus, & magna prudẽtia decoratus fuit ipse Ioannes. Doctis viris amanter fauit. Ecclesiam Tolosanam, quam vnicè dilexit, Metropolitanam fecit: ob idq; sex ciuitatis oppida in totidem ciuitatum dignitates & nomina extulit. Rebus nouis nonnihil studuit: ex vno siquidẽ Episcopatu duos quandoq; fecerit: & ex duobus nonnunquàm vnum. Abbatias aliquas in Episcopatus conuertit: &ècontra Episcopatus in Abbatias transtulit. Librum Clementinarum pridem ab antecessore æditum, sua auctoritate, confirmauit. Ordinem Grandimontensem, quorundam improborum factionibus labefactatum, restituit, resectis his, quæ ordini obfutura erant: additisq; præceptis quibusdã, quò tanta religio constaret. Cæsaraugustanam Ecclesiam, quam magnoperè dilexit, in Metro-
polim

polim euexit: quinq; Cathedralibus Ecclesiis Tarraconensis diocesis eidem traditis. Nouũ ordinem militum Christi in Lusitania contra Saracenos instituit. Duos Thomas (cùm alia plura Ioannes rem Ecclesiæ spectãtia præclarè egisset) vnum Erphordiensem Episco-
350 pum, † alterum Aquinatem, ordinis prædicatorum, in album Sanctorum Christi confes-
351 sorum retulit. † Posteà Ludouici Bauari electione abrogata, illum ceu ecclesiæ rebellem atq; schismaticum, censuris subiecit Ecclesiasticis: & multos tùm hæreticos anathemate percussit: igniq; exuri præcepit. Postremò deniq; anno ætatis suæ nonagesimo Auenione decedit, Anno nempè sui Pontificatus decimo nono, & mense quarto. Hic tantam vim auri in thesauris ecclesiæ dicitur reliquisse, quantam anteà vnquàm nemo.

Hic probus Pontifex summæ pietatis opera cùm in omnes, tùm erga Angliæ Reges & illorum subditos præsertim, iugiter exercuit. Inter cætera verò vnam eius epistolam, de Romano Registrorum Ioannis Archetypo sumptam, huc fideliter trãscribere libuit:
352 quò & pium Ioannis Papæ studium, † & aliqua Apostolicæ sedis Romanæ beneficia in Anglos, & Hybernos haud mediocria, in hominum reuocentur memoriam. Eius Epistolæ verba huiusmodi sunt.

Ioannes

Ioannes vigesimus secūdus Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ Illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PAternum amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili charissime, gerimus, dum te ad ea, quæ iusto placeant iudici, tui regni, terrarū, & subditorum tuorum, sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospiciant, sollicitis hortationibus inuitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras deuota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam recepimus literas, directas pridem per Hybernicos magnates, & populum, dilectis filiis nostris Anselmo tituli sanctorum Marcellini & Petri, præsbytero, & Lucæ S. Mariæ in via lata diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nunciis, & per eos nobis suis interclusas literis destinatas: † in qua- 353
rum serie vidimus inter cætera contineri, quòd cùm fœlicis recordationis Hadrianus Papa, prædecessor noster, sub certis modo, & forma, distinctis apertius in Apostolicis literis indè factis, claræ memoriæ Henrico Regi Angliæ, progenitori tuo, dominium Hyberniæ concessisset: ipse Rex, ac successores ipsius Reges Angliæ, vsq; ad hæc tēpora modū & formam huiusmodi non seruantes, quinimò eos

mò eos transgredientes indebitè afflictionibus, & grauaminibus inauditis importabiliũ seruitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hactenus, qui reuocaret illata grauamina, aut errata corrigeret: non fuit quem pia cõpassio super eorũ contritione moueret. Quãuis super his ad te recursus habitus fuit, & clamor validus oppressorũ aures tuas quandoq; pulsarit. Vndè talia ferre nequeũtes vlterius, coacti sunt se à dominio tuo subducere, & alium in suum regimeh aduocare.
354 † Hæc, dilectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirùm infestiora nostris accedũt affectibus, quanto desideramus intensius, ut tibi prospera cuncta cedant: circa illa versari sedulò debes, eaq; promptis affectibus exequi, quæ tuo sint placita creatori: & ab omnibus abstinere sollicitè, per quæ contra te debeat prouocari Deus ipse, ac Dominus vltionũ: qui gemitus afflictorum iniustè, minimè despicit: & qui propter iniustitias peculiarem suum deiecisse describitur Populum, & translationem fecisse regnorum. Quanto etiam desiderabilius, iis præsertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intẽdere, per quæ tuorum corda fidelium ad tuam beneuolentiam & obedientiam debeant allici, & illa prorsus vitare, quibus valeant à tuæ cultu deuotionis auelli. Quia itaq; fili, tua non modicum in-

terest, huius nouæ mutationis vitare dispendium, quàm plurimum expedit, ut hæc non negligantur turbationis initia: nè illis periculosè crescẽtibus serò medicinæ remedia præparentur. Eccelentiã regiã sollicitamus attẽtè præsentibus sanè nihilominus consilio suadẽtes, quatenus hæc prudẽti meditatione considerans, & cũ tuo discreto consilio conferens, super illis, circa præmissorum grauaminũ correctionem, ac reformationem debitam, & festinam, viis & modis decentibus, sic sufficiẽter prouideri mandes, & facias, sic discriminosis principiis in hac parte obstare procures, quòd & illi, per quem regnas, placere valeas, & te in iis eficaciter implẽte, quod debes, cuiusuis aduersum te iustæ querelæ materia cóquiescat: per quod iidem Hibernici saniori ducti consilio tibi, ut domino, pareant: aut si, quod absit, in cœpta rebellione manere voluerint, causam suam in apertam iniustitiam, te apud Deum & homines excusato, conuertant. Vt autem de prædictis grauaminibus et querelis, quibus prædicti innitũtur Hybernici, tuis sensibus innotescant ad plenũ, præscriptas literas missas Cardinalibus antedictis cũ forma literarũ, quas prædictus Hadrianus prædecessor noster, eidẽ Henrico regi Angliæ de terra Hyberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus præsentibus introclusas. Datũ, &c.

Addiscant hinc ergò Angliæ Reges & Reginæ (si non & aliàs sæpius) qualibus & quantis maximorum beneficioru nexibus Romanæ sedi & Vicariis Christi iure sint deuincti.

Benedictus duodecimus P. M.
Cap. CLXXV.

BEnedictum duodecimum, ciuem Tholosanum, ordinis Cisterciensis Monachum, Ioanni vigesimo secundo defuncto Auiniqne Cardinales substituunt. Benedictus, suscepta ouium Christi cura, nihil prius duxit, quàm promulgatas à Ioanne in Ludouicum Bauarum censuras repetere. Tùm verò, Italia tumultibus, atq; ciuilibus dissensionibus plena, verebatur Pontifex, nè ab externo aliquo
355 hoste, vacante Imperii sede, occuparetur. † Ideoq; Luchinum Vicecomitem, & Ioannem eius fratrem, Archiepiscopum Mediolanensem, Mediolani, ac aliarum vrbium, quas possidebant, Vicarios fecit; simili modo Mastinu Scaligerum, Veronæ & Vincentiæ: Gulielmum Gonzagam, Mantuæ & Regii: Albertinum Carrariam, Paduæ: Opicium Estensem, Ferrariæ, Mutinæ, & Argentæ, Vicarios, Apo-
356 stolica auctoritate, constituit. † Verùm quia portio Estensi data ad ius & dominium Romanæ Ecclesiæ pertineret: censum illi decem millium aureorum quotannis ecclesiæ persol-

uendum imposuit. In toto eius Pontificatu Benedictus sex præsbyteros Cardinales, viros egregios, vndiq; accersitos, creauit. Tantæ præterea fortitudinis atq; constantiæ fuit, vt à recto neq; precibus, neq; vi, neq; præmio, aut pollicitationibus, moueri potuerit. Porrò bonos dilexit: malos palàm odio habuit. Iungere Philippi Franciæ Regis, & Eduardi Regis Angliæ, animos fœdere pacis per legatos sæpè (sed frustrà) tentauit. Aedes Pōtificias extruxit. Basilicæ sancti Petri tectum, suo iussu & impensa, est restitutum. Tandem Benedictus finem viuẽdi facit, anno suæ administrationis septimo, mense tertio, die xvii. Magnã vim auri, non cognatis & affinibus, sed Ecclesiæ reliquit. In morte autem optimi & doctissimi Pontificis collachrymarunt omnes. Dicere solitus est Pontifex: talis esto filiis, quales cupis habere gnatos. Et rursus: Malus mortem, bonus verò vitiũ potius formidat. Quæ scis, legendo serua: quæ nescis legẽdo disce. Aequè turpe est, carere amicis, ac eos sæpè mutare, &c.

Clemens sextus P. M.
Cap. CLXXVI.

CLementi sexto, patria Lemonicensi, antea monacho, summus Pontificatus Auenione confertur. Fuit hic vir magna eruditione &

ne & eloquentia præditus: liberalis in omnes & perhumanus. Qui primo sui Pontificatus anno octo præsbyteros Cardinales creat: diaconos duos: nempe fratrem suum Monachũ Tullensis professionis: & Guilielmum ex sorore nepotem. Verùm quum audiret, totam Italiam tumultibus agitari: Luchinum & Ioãnem duntaxat Vicecomites, Vicarios Insubrum confirmauit: de reliquis Italiæ principibus nulla penitus facta mentione. Existimabat enim solos Vicecomites Ludouico Bauaro, Italiam quandoq; forsan petituro, viribus
358 resistere posse. † Ludouicus igitur Tridentũ vsq; posteà veniens quàmplures Vicarios, in ditione Iuris ecclesiastici, tyrannicè constituit. Quod quidem Ludouici facinus Pontificem, ac eius successores perpetuis affecit incommodis. Porrò Ioannes quidam, vrbi Romæ præfectus, nonnulla in Viterbiensium finibus paterna possidens hæreditate, Vicarius Imperialis in Viterbio est factus. Eadem auctoritate Galeottus Malatesta & fratres in Arimino, Pisauro, atq; Fano: Antonius Ferretanus in Vrbino: & alii aliis in locis Vicarii Imperiales sunt declarati. Clemens autem nonnullos Cardinales Auenione Romam misit: Qui statum vrbis componentes, Petrum Saram Columnensem, & Ioannem Vrsi filium, Senatores vrbis declararũt. Tùm verò Ni-

colaus Rencii, publicus scriba, qui omnem potestatem Romanæ vrbis sibi arrogauerat, ad Carolum Bohemiæ Regẽ, mutata veste, incognitus profugit. Qui quidẽ Carolus cùm esset opera Clementis Pontificis ab electoribus Imperii Cæsar designatus, eundẽ Nicolaũ Rencii Auenionem Pontifici misit. Iubileum anno salutis 1350. Romæ Pontifex, Romanis petentibus, haberi voluit. Nouissimè Clemens in cunctis boni pastoris officio functus, Anno salutis 1352. sui verò Pontificatus anno decimo, mense septimo, die vigesimo octauo moritur Auenione.

Innocentius sextus P. M.

Cap. CLXXVII.

Collocatur in sede Petri Innocentius sextus, patria Lemonicensis, Iuris Pontificii & ciuilis doctor præclarus. Fuit Innocentius vir integerrimæ vitæ, magnæq; adeò Cõstantiæ & seueritatis. Beneficia ecclesiastica non nisi probatissimis, cùm vita, tùm moribus, viris contulit. † post eius coronationem 359
ilicò præcepit, vt omnes prælati, ac deniq; cuiusuis ordinis ecclesiastica habentes beneficia cæteri, sub anathematis pœna, ad suas abirẽt Ecclesias. † Dictitabat enim, oues pascuas 360
à proprio Pastore, non autem à mercenario, custodiri debere. Sũptus quoq; domesticos

Domi

Domi suæ imminuit: Familiam suam ad certum quendam & honestum probatissimorũ virorum numerum redigens. Idem æquè ut facerent Cardinales, sæuero a dicto, præcepit. Auditoribus sacri palatii salaria præstituit: nè ob inopiam muneribus forsan quandoq; corrumpi possent. Hic Pontifex in victu parcus: in bellicis expeditionibus amplissimus fuit. Cùm igitur Prælatorum quemq; ad proprias
361 Ecclesias ablegasset: † nihil antiquius sibi duxit, quàm Italicas vrbes & prouincias Ecclesiasticæ iurisdictionis è Tyrãnorum manibus eripere. Quamobrem & Egydium Carillam hispanum, nobili genere natum, Sabinorum Episcopum Cardinalem, Legatum in Italiam mittit. Egydius verò vir magna virtute, magnoq; ingenio præditus, omnia ex voto de faucibus Tyrãnorum, fœlici sydere, extorsit. Huius Innocentii Pontificis suasu & prudentia inter Venetos & Genuenses fœdus constituitur: Pax inter Pisanos & Florentinos fit:
362 † Romanorum discordias, in creandis Senatoribus in vrbe obortas, externo Senatore Romã misso, sapienter sustulit. Cupiuit magnoperè Pontifex, bellum, quod inter Gallos & Anglos gerebatur, tollere: Classem aduersus Christiani nominis hostes parare in animo illi fuit. Cæterùm tot animi curis affectus è vita decessit: anno nempè suæ administrationis

nono, menſe octauo, die ſexto. Sepultus in Monaſterio Diui Andreæ, Carthuſienſium ordinis: quod ipſe Pontifex extra Aucnionẽ proprio ſumptu cũ dote cõgrua extruxerat.

Vrbanus quintus P. M.
Cap. CLXXVIII.

VRbanus eius nominis quintus, Patria Lemonicenſis, ſancti Victoris Maſsilienſis Abbas, conſenſu omnium, etiam abſens, ad ſummũ Põtificatus apicem Auenione euehitur. Hîc Vrbanus vir quippè fuit ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſsimæ vitæ. Qui propter res in Italia componendas Egydium Cardinalem, de latere Legatum, protinus cõfirmauit. Demùm Vrbanus ipſe quarto ſui Pontificatus anno in Italiam, rerum penitus componendarum cauſa, aduenit. Ad quem Carolus quartus ſeſe (honoris & reuerentiæ cauſa) protinus contulit. † Vrbanus au- 363
tem Apoſtolorum Petri & Pauli capita, apud Sancta Sanctorum reperta, indè argenteis vaſis recondita ad altare maius eccleſiæ Lateranenſis contulit. In Vrbe Veteri & Monte Faliſco pallacia (vitandi Romani æſtus gratia) prò tranſalpinis aulicis, & officialibus, quos in Italiã adducere certò ſtatuerat, extrui curauit. Galliam verò repetiturus, Ioannẽ quẽdam Haucut egregium copiarum Ducem, è

carcere

carcere tunc emissũ, copiis illis omnibus præfecit, quæ anteà sub Egydio, haud multò antè defuncto, militarant. Reuersus dein in Gallias Pontifex, sanctitate vitæ, fama, & opinione, celebratissimus, Massiliæ moritur, anno sui Regiminis octauo, mense quarto.

Gregorius vndecimus P. M.
Cap. CLXXIX.

GRegorius vndecimus, patria & ipse Lemonicensis, ad summum Pontificatum, omnium consensu Auenione vocatus, post Vrbanum accedit. Hunc enim adolescẽtem, vix decimum septimum annum natum, Clemẽs vi. eius patruus, Cardinaliũ collegio cooptauit: & nè videretur carni & sanguini plus, quàm ecclesiæ Dei, consuluisse: ipsum ad Baldum, virum in iure Pontificio & ciuili excelsum, Perusii tum publicè docentem, disciplinæ gratia, misit: vbi in quauis liberali disciplina plurimùm profecit. Ad hæc, Gregorius tã mitis, tamq; pius, humanus, & nemini molestus, semper vixit: vt ab omnibus valdè diligeretur. Suscepto igitur Põtificatu, de suo in Italiã reditu cœpit cogitare. Animaduertebat .n. res ecclesiæ sic longè melius (Si Romæ præsens ipse fuisset) disponi posse. Dum hæc animo Pontifex versaret: † Episcopus quidam ab
364 ipso Pontifice monitus, vt ad suam iret eccle-

siam, familiariter fisus, & tu, inquit, sancte Pater, cur ad tuam non accedis ecclesiam? Indè Gregorius maturandam profectionem destinauit. Verùm, quia propinquis, affinibus, & toti deniq; Galliæ, id minimè gratum fore prospiceret: Triremes in Rhodano (nemini patefacta causa) parari iubet. Neq; tùm multò post Pontifex, vnà cum his, quos pridem adesse iusserat, secundo flumine vna & viginti triremibus delapsus in mare, iugi nauigatione (tempestatibus spretis) Romam Ianuario mense peruenit: anno nēpè Christi 1376. qui quidē annus fuit sextus Pontificatus Gregorii: septuagesimus verò secundus translatæ in Galliā Apostolicæ Sedis Romanæ. Fuit autem illa dies Romano populo lætissima: Florentino autem inuisa. Indigebāt quippè omnia Romæ aduentu Pontificis. Porrò Vrbis mœnia, Basilicæ òmnes, atq; priuata ædificia, ruinam vndiq; minabantur. Sed illa Pontifex magna ex parte restituit. Labefactos ciuium mores in vrbe, quæ olim vniuersum terrarū orbem, humanitatem, vrbanitatemq; docuerat, composuit. Posita itaq; Romæ sua sede, Pōtifex (vti bonum Pastorem decuit) omnia circumspicere cœpit: ac propterea pia mente ad Florentinos, pacis ineundæ gratiā, misit. Quā illi suspectam habentes, artibus spreuerunt. Enimuerò cum Bernaboue Vicecomi-

te, illorum antiquo hoste, fœdus ineunt: Ioānem Haucut, militarem sedis Apostolicæ Ducem, pecunia corruptum, in suas partes trahunt: atq; alia id genus plura Florentini con-
365 tra summum Pontificem agunt. † Quibus permotus Gregorius anathemate eos notat, sacraq; illis interdicit. Cæterùm Florentini sacerdotes suos sacra facere cogunt: Pontificis iussa spernunt. At verò Gregorius non amplius verbis immorandum ratus, bellum ipsis mouit. Sed hæc & alia dùm vir sanctus agit, quæ ad Pontificem pertinent, morbo correptus Anno Christi 1378. moritur: Anno autē suæ administratæ sedis octauo, mense quinto, quinto Kalēdas Aprilis. Sepelitur in æde sanctæ Mariæ, in via noua, magno cum omniū gemitu & lachrymis.

Vrbanus sextus P. M.
Cap. CLXXX.

VRbanus sextus, genere Neapolitanus, in Pontificatu per hæc tempora sufficitur.
366 Qui vita & moribus incompositis fuit. † Sub quo & horridum schisma cœpit: nouē & triginta deinceps annos vsq; ad Martinum quintum in orbe Christiano vigens. Porrò Cardinales per obitum Gregorii vndecimi conuenientes apud templum Diuæ Mariæ nouæ: quò iusta Gregorio de more persoluerent:

Romani tùm ciues blandè prius Cardinales rogarunt, ut Romanum aliquem, aut ſaltem Italum, Pontificem Maximum crearent: deindè ipſis Cardinalibus conclaui incluſis, idẽtidem à Populo Romano acclamatum fuit: impræſsio tamen ipſis Cardinalibus facta dici nulla potuit. Quibus ita peractis, Cardinales Vrbanum ſextum, ut diximus, Pontificem renunciarunt. Cæterùm Gallici Cardinales, octo nempè, electionem de Vrbano ſic factam, quam vicioſam eſſe putabant, ægro animo ferentes, adueniente æſtate, Vrbanum Pontificem rogant, ut eis Anagniã, mutandi, propter æſtum, aeris gratia, proficiſci liceret. Licentia abeundi impetrata, Roma abeunt, nouumq; Pontificem eligunt: cui Clementi ſeptimo nomen imponunt: tuncq; ſchiſma peſtilentiſsimum ineunt. Enimuerò Italia, Germania, & Pannonia Vrbanum: Gallia autem, Hiſpania, Cathelonia, & Britannia Clementem fuerunt ſequutæ. Moritur tandem Romæ Vrbanus poſt annum ſuæ electionis vndecimum, menſe octauo. Clemens autem Auenione interiit poſt annos quindecim ſui Antipàpatus.

Bonifacius nonus P. M.
Cap. CLXXXI.

SVcceſsit Romæ Vrbano Bonifacius no-

nus

nus, ciuis Neapolitanus, anno Christi 1391. Hîc annorum triginta fuit, quandò Pontifex est electus. Vixit tamen in toto illo Pontificatu, iuuenis admodùm, absq; reprætensione. Vir magno animo, bonoq; consilio fuit. Omnem nanq; Romani populi auctoritatem in Romanos Pontifices, primus omnium transtulit.
367 † Magistratus Romæ suo arbitratu liberè constituit. Arcem Sancti Angeli & Pontes muniuit. Iubileum anno Christi 1400. Romæ celebrauit. Ladislaum adolescentem in paterno Apuliæ regno collocauit.
368 † Studium generale in sua patria erexit. Brigidam Viduam sanctorum albo adscripsit. Deniq; obiit cum Romæ vixisset annos quatuordecim, menses nouem. Cæterùm quòd Auenione decesserat Clemens, vt diximus, substituunt inibi Gallici Cardinales Benedictum tredecimum, natione Hispanum. Qui vixit in suo Antipapatu annos xxi. nempè ad tempora vsq; Concilii Constanciensis.

Innocentius septimus P. M.
Cap. CLXXXII.

DEderunt successorem Romæ Cardinales Bonifacio nono Innocentium septimum, patria Sulmonensem. Qui iureiurando Cardinalibus spopondit: se Pontificatu abdicaturum, si quando pro vnione ecclesiæ requireretur.

reretur. Moritur autem anno suæ electionis secundo.

Gregorius duodecimus, Alexander v. Ioannes xxiii. PPP. MMM.
Cap. CLXXXIII.

POst Innocētiū subijcitur Gregorius duodecimus in Pontificatu, natione Venetus, ex nobili familia. Is iureiurando identidem promisit, se depositurum Papatū: vbi in Gallia Benedictus xiii. suo se Pontificatu abdicaret. Et quamuis ambo illi Pōtifices sese inuicem ad deponendum Pōtificatum pro vnione Ecclesiæ, atq; trāquillitate fuerint cohortati: attamen in deligendo locum, ad eam rem peragendam, commodum, propter manifestam eorum collusionem, inter ipsos nūquàm conuenit. † Quamobrem Concilium 369
Pisis ab vtriusq; partis, Italicæ & Gallicæ factionis, Cardinalibus anno Domini 1408. hominum multitudine frequens, habetur. In quo fuere ambo Pontifices, Gregorius xii, & Benedictus xiii. de collusione accusati, & cōtumaces magistratu depositi. Propterea & Alexander quintus in summum Pontificem ab omnibus deligitur. Verùm exautorati in Concilio Pontifices, nihilominus pro Pontificibus, ut anteà, se gesserunt: Cardinalesq; postmodum etiam aliquos crearunt. Intereà

Alexander

Alexander quintus, ex Insula Creta oriundus, ordinis minorum ab adolescentia sua Monachus, vir pietate, & doctrina præstans, soluto Pisano Concilio, Bononiam proficiscitur: ibiq; octauo suæ electionis mense moritur: magnum sui relinquens desiderium. Bononiæ sepelitur in Monasterio fratrum minorũ. Tùm qui Bononiæ aderãt Cardinales Ioannẽ Vigesimum tertium, eiusdem ciuitatis legatum, Neapoli oriundum, subrogant, licet nõnulli putent, vi potius, atq; potentia Pontifi-
370 catum eidem fuisse delatum. † Quẽ posteà ad Constanciense Concilium, omnium nationum consensu, anno Domini 1414. citatum, præsente Sigismundo Imperatore, & ob multa illi obiecta, à Pontificatu deiectum fuisse, constat. In quo quidem Concilio Gregorius duodecimus per legatũ spontè se Põtificatu abdicauit: & Benedictus decimus tertius, re inibi penitus cognita, omni Pontificio honore & magistratu fuit priuatus: tũcq; schisma perniciosum desiit.

Martinus quintus P. M
Cap. CLXXXIIII.

ERat tunc annus humanæ salutis 1417. quãdo in Concilio Constanciensi Cardinaliũ omnium, necnon & nationum totius Christiani orbis, consensu, ipso die celebritatis S.

Martini Epiſcopi,abrogatis prius magiſtratu,
poteſtate,& dignitatibus Pontificiis, Ioanne
xxiii. Gregorio x. & Benedicto xiii. deligitur
in Chriſti Vicarium, Martinus quintus, ciuis
Romanus,ex nobili Columneuſium familia
natus. Is à primis annis,parentum cura, mori-
bus, & literis ornatus iuri Pontificio Peruſii
operam fœliciter dedit. Porrò in Conſtãcien-
ſi Concilio quum ſæpius in vtranq; partem
altercationes haberentur: ipſe medium quod-
dam,communi fauens vtilitati,in mediũ nun-
quàm non adferebat. Hanc ob cauſam & Im-
peratori Sigiſmundo, & Cardinalibus qui-
busq;, fuit pergratus. In ſummo itaq; Ponti-
ficatu Martinus conſtitutus omnia ad rem
Chriſtianam pertinentia accuratiſsimè, ſum-
ma ſolertia,curauit. Vir benignus fuit,ac præ-
ter omnium opinionem quoq; ſagax. Soluto
proindè Conſtancienſi concilio, Florentiam
Põtifex venit: locum pro rebus Eccleſiæ cõ-
ponendis opportunum. Vbi biennium fermè
commoratus cum Bractio, qui permulta Ec-
cleſiæ oppida occuparat,iuuantibus Florenti-
nis, beneuolentiam iniit.† Cuius poſteà Bra- 371
ctii opera Bononiam,quæ ſe anteà in liberta-
tem vẽdicauerat,in Eccleſiæ poteſtatem,vnà
cum nõnullis aliis ciuitatibus recepit: vt inde
Martini auctoritas plurimùm creſceret. † Ci- 372
uitatem Florentinam honore Metropolitanæ

Ecclesiæ decorauit. Qua demum relicta, Romam optatissimus, ceu patriæ parens, aduenit. Quam mirè deformatam reperit. Quarè Pōtifex pietate erga patriam motus, eam breuî meliorem reddidit: Vir iste in omni eius vita integer semper fuit. Tandem anno sui Pōtificatus decimo quarto, mēse tertio, apoplexia tactus, diem functus est. Cuius obitū non aliter clerus populusq; Romanus defleuit, ac si ecclesia Deî, Vrbsq; Roma optimo parente orbata fuisset.

Eugenius quartus P. M.
Fœlix quintus.
Cap. CLXXXV.

DEfuncto Martino substituunt Romæ Cardinales Eugenium quartum, ciuem Venetum, Canonicū congregationis sancti Georgii in Alga, Ciuitatis Venetiarum. Iste fuit Gregorii duodecimi ex sorore nepos, & ab ipso Gregorio ad Cardinaliciam dignitatem vocatus. Hîc, propter honoris Pontificii accessionem, minimè elatior factus, nulla in re pristinam vitam mutauit. Initio autē sui Pōtificatus malis vsus consiliis, diuina humanaq; turbauit: Populum Romanum ad arma exciuit: Decreta Concilii Basiliensis, vndè ingēs malorum moles confluxit, probare non dubitauit. Cæterùm posteà ad seipsum reuer-

ſus, omnia prudenter cōſtanterq́; egit. In lectione Hiſtoriarum benè verſatus: Liberalis in omnes, præſertim verò doctos, quorum familiaritate eſt delectatus, vixit. Leonardum etenim Aretinum, Carolum Poggium, Auriſpam Trapeſuntium, Blondū Forliuienſem, viros, illo æuo doctiſsimos, à conſiliis habuit.
✝ Hic n.(vti ex eius Regiſtro Romæ deſum- 373
pſi) miſsis legatis, pacem inter Albertum Auſtriacum, Romanorum Regem, & Vladiſlaū Poloniæ Regem, pro regno Bohemico inuicem crudeliſsimè pugnantes, piè compoſuit. Cōtendentibus inuicē Rabano & Vlrico germanis nobilibus pro Archiepiſcopatu Treuirenſi, & ob id vniuerſa regione illa ad extremam calamitatem redacta, pacem illis terris bonus paſtor multo labore tandem peperit. Pacem inquàm inter Carolum Franciæ, & Hēricum Angliæ Reges, ſummo labore, ſummaq́; ope Eugenius cōponere ſtuduit. Gymnaſium generale in ditiōe Caroli Ducis Borbonii erexit. Pacem rurſum inter Ioannem Epiſcopum Herbipolenſem, & capitulum eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ, ac omnes ciues illius loci ſua auctoritate ponere, auidiſsimè, nec infœliciter quidem, laborauit. Et alia deniq; multa pro Chriſti Eccleſia, proq; vniuerſi orbis ſalute benignus iſte omniū parens præclarè præſtitit. Ad Germanicam fidē
nunc

nunc redeo. Porrò fuit Eugenius aspectu venerādus: in dicendo grauis potius, quàm eloquens. Ob illatas iniurias, & hominum scurrilitatem, non facilè ad iram est motus. Gymnasia literarum, maximè autem Romanum, fouit, auxitq́; Viros religiosos, quos immunitatibus, & diuitiis perlubēs donabat, summè dilexit. Constās in pactionibus seruandis, splēdidior in familæ victu, in suo parcior, ac penè abstemius, habitus est. Cùm autem suggestionibus Philippi Mediolanensium Ducis in Basiliensi cōcilio Eugenius absens deponeretur à Pōtificatu, substitueretúrq; illi Fœlix quintus, ipse Eugenius Delphinum, Caroli Regis Franciæ filium, magno cum equitatu in Basilienses, ut conuentus ille dissolueretur, concitauit. Cuius consilium effectu nequaquàm caruit. Aufugere etenim illinc omnes. Adhæc, Sigismūdus Imperator in Italia senis circiter semestre tempus dum moraretur, cum
374 Eugenio fœdus percussit: † Romamq́; profectus imperiali corona ab ipso Eugenio insignitus fuit. Deniq; Sigismundo Cæsare de-
375 functo, † Concilium Ferrariæ indixit: quò & Græcorum Imperator accessit: demùm indè Florentiam illud transtulit. Ecclesias Dei ædificiis & sacellis ornare dehinc, postcà studuit. Postremò moritur Eugenius, vir ingenio & rebus gestis, præclarus, anno suæ Crea-

nono, menſe octauo, die ſexto. Sepultus in Monaſterio Diui Andreæ, Carthuſienſium ordinis: quod ipſe Pontifex extra Auenionē proprio ſumptu cũ dote cõgrua extruxerat.

Vrbanus quintus P. M.
Cap. CLXXVIII.

VRbanus eius nominis quintus, Patria Lemonicenſis, ſancti Victoris Maſilienſis Abbas, conſenſu omnium, etiam abſens, ad ſummũ Põtificatus apicem Auenione euehitur. Hic Vrbanus vir quippè fuit ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſsimæ vitæ. Qui propter res in Italia componendas Egydium Cardinalem, de latere Legatum, protinus cõfirmauit. Demùm Vrbanus ipſe quarto ſui Pontificatus anno in Italiam, rerum penitus componendarum cauſa, aduenit. Ad quem Carolus quartus ſeſe (honoris & reuerentiæ cauſa) protinus contulit. † Vrbanus autem Apoſtolorum Petri & Pauli capita, apud Sancta Sanctorum reperta, indè argenteis vaſis recondita ad altare maius eccleſiæ Lateranenſis contulit. In Vrbe Veteri & Monte Faliſco pallacia (vitandi Romani æſtus gratia) prò tranſalpinis aulicis, & officialibus, quos in Italiã adducere certò ſtatuerat, extrui curauit. Galliam verò repetiturus, Ioannē quēdam Haucut egregium copiarum Ducem, è 363

carcere

carcere tunc emissi, copiis illis omnibus præfecit, quæ anteà sub Egydio, haud multò antè defuncto, militarant. Reuersus dein in Gallias Pontifex, sanctitate vitæ, fama, & opinione, celebratissimus, Massiliæ moritur, anno sui Regiminis octauo, mense quarto.

Gregorius vndecimus P. M.
Cap. CLXXIX.

GRegorius vndecimus, patria & ipse Lemonicensis, ad summum Pontificatum, omnium consensu Auenione vocatus, post Vrbanum accedit. Hunc enim adolescētem, vix decimum septimum annum natum, Clemēs vi. eius patruus, Cardinaliū collegio cooptauit: & nè videretur carni & sanguini plus, quàm ecclesiæ Dei, consuluisse: ipsum ad Baldum, virum in iure Pontificio & ciuili excelsum, Perusii tum publicè docentem, disciplinæ gratia, misit: vbi in quauis liberali disciplina plurimùm profecit. Ad hæc, Gregorius tā mitis, tamq; pius, humanus, & nemini molestus, semper vixit: vt ab omnibus valdè diligeretur. Suscepto igitur Pōtificatu, de suo in Italiā reditu cœpit cogitare. Animaduertebat .n. res ecclesiæ sic longè melius (Si Romæ præsens ipse fuisset) disponi posse. Dum hæc ani-
364 mo Pontifex versaret: † Episcopus quidam ab ipso Pontifice monitus, vt ad suam iret eccle-

ſiam, familiariter fiſus, & tu, inquit, ſancte Pater, cur ad tuam non accedis eccleſiam? Indè Gregorius maturandam profectionem deſtinauit. Verùm quia propinquis, affinibus, & toti deniq; Galliæ, id minimè gratum fore proſpiceret: Triremes in Rhodano (nemini patefacta cauſa) parari iubet. Neq; tùm multò poſt Pontifex, vnà cum his, quos pridem adeſſe iuſſerat, ſecundo flumine vna & viginti triremibus delapſus in mare, iugi nauigatione (tempeſtatibus ſpretis) Romam Ianuario menſe peruenit: anno nēpè Chriſti 1376. qui quidē annus fuit ſextus Pontificatus Gregorii: ſeptuageſimus verò ſecundus translatæ in Galliā Apoſtolicæ Sedis Romanæ. Fuit autem illa dies Romano populo lætiſsima: Florentino autem inuiſa. Indigebāt quippè omnia Romæ aduentu Pontificis. Porrò Vrbis mœnia, Baſilicæ omnes, atq; priuata ædificia, ruinam vndiq; minabantur. Sed illa Pontifex magna ex parte reſtituit. Labefactos ciuium mores in vrbe, quæ olim vniuerſum terrarū orbem, humanitatem, vrbanitatemq; docuerat, compoſuit. Poſita itaq; Romæ ſua ſede, Pōtifex (vti bonum Paſtorem decuit) omnia circumſpicere cœpit: ac propterea pia mente ad Florentinos, pacis ineundæ gratia, miſit. Quā illi ſuſpectam habentes, artibus ſpreuerunt. Enimuerò cum Bernaboue Vicecomi-

te,

te, illorum antiquo hoste, fœdus ineunt: Ioãnem Haucut, militarem sedis Apostolicæ Ducem, pecunia corruptum, in suas partes trãhunt: atq; alia id genus plura Florentini con-
365 tra summum Pontificem agunt. † Quibus permotus Gregorius anathemate eos notat, sacraq; illis interdicit. Cæterùm Florentini sacerdotes suos sacra facere cogunt: Pontificis iussa spernunt. At verò Gregorius non amplius verbis immorandum ratus, bellum ipsis mouit. Sed hæc & alia dùm vir sanctus agit, quæ ad Pontificem pertinent, morbo correptus Anno Christi 1378. moritur: Anno autẽ suæ administratæ sedis octauo, mense quinto, quinto Kalẽdas Aprilis. Sepelitur in æde sanctæ Mariæ, in via noua, magno cum omniũ gemitu & lachrymis.

Vrbanus sextus P. M.
Cap. CLXXX.

VRbanus sextus, genere Neapolitanus, in Pontificatu per hæc tempora sufficitur.
366 Qui vita & moribus incompositis fuit. † Sub quo & horridum schisma cœpit: nouẽ & triginta deinceps annos vsq; ad Martinum quintum in orbe Christiano vigens. Porrò Cardinales per obitum Gregorii vndecimi conuenientes apud templum Diuæ Mariæ nouæ: quò iusta Gregorio de more persoluerent:

nus, ciuis Neapolitanus, anno Christi 1391. Hîc annorum triginta fuit, quandó Pontifex est electus. Vixit tamen in toto illo Pontificatu, iuuenis admodùm, absq; repræhensione. Vir magno animo, bonoq; consilio fuit. Omnem nanq; Romani populi auctoritatem in Romanos Pontifices, primus omnium trans-
367 stulit. † Magistratus Romæ suo arbitratu liberè constituit. Arcem Sancti Angeli & Pontes muniuit. Iubileum anno Christi 1400. Romæ celebrauit. Ladislaum adolescentem in pater-
368 no Apuliæ regno collocauit. † Studium generale in sua patria erexit. Brigidam Viduam sanctorum albo adscripsit. Deniq; obiit cum Romæ vixisset annos quatuordecim, menses nouem. Cæterùm quòd Auenione decesserat Clemens, vt diximus, substituunt inibi Galli-
ci Cardinales Benedictum tredecimum, natione Hispanum. Qui vixit in suo Antipapatu annos xxi. nempè ad tempora vsq; Concilii Constanciensis.

Innocentius septimus P. M.
Cap. CLXXXII.

DEderunt successorem Romæ Cardinales Bonifacio nono Innocentium septimum, patria Sulmonensem. Qui iureiurando Cardinalibus spopondit: se Pontificatu abdicaturum, si quando pro vnione ecclesiæ requi-

reretur. Moritur autem anno suæ electionis secundo.

Gregorius duodecimus, Alexander v. Ioannes xxiii. PPP. MMM.
Cap. CLXXXIII.

POst Innocētiũ subiicitur Gregorius duodecimus in Pontificatu, natione Venetus, ex nobili familia. Is iureiurando identidem promisit, se depositurum Papatũ: vbi in Gallia Benedictus xiii. suo se Pontificatu abdicaret. Et quamuis ambo illi Pōtifices sese inuicem ad deponendum Pōtificatum pro vnione Ecclesiæ, atq; trāquillitate fuerint cohortati: attamen in deligendo locum, ad eam rem peragendam, commodum, propter manifestam eorum collusionem, inter ipsos nũquàm conuenit. † Quamobrem Concilium 369 Pisis ab vtriusq; partis, Italicæ & Gallicæ factionis, Cardinalibus anno Domini 1408. hominum multitudine frequens, habetur. In quo fuerè ambo Pontifices, Gregorius xii, & Benedictus xiii. de collusione accusati, & cōtumaces magistratu depositi. Propterea & Alexander quintus in summum Pontificem ab omnibus deligitur. Verùm exautorati in Concilio Pontifices, nihilominus pro Pontificibus, ut anteà, se gesserunt: Cardinalesq; postmodum etiam aliquos crearunt. Intereà

Alexander

Alexander quintus, ex Insula Creta oriundus, ordinis minorum ab adolescentia sua Monachus, vir pietate, & doctrina præstans, soluto Pisano Concilio, Bononiam proficiscitur: ibiq; octauo suæ electionis mense moritur: magnum sui relinquens desiderium. Bononiæ sepelitur in Monasterio fratrum minorũ. Tùm qui Bononiæ aderãt Cardinales Ioannẽ Vigesimum tertium, eiusdem ciuitatis legatum, Neapoli oriundum, subrogant, licet nõnulli putent, vi potius, atq; potentia Pontificatum eidem fuisse delatum.

370 † Quẽ posteà ad Constanciense Concilium, omnium nationum consensu, anno Domini 1414. citatum, præsente Sigismundo Imperatore, & ob multa illi obiecta, à Pontificatu deiectum fuisse, constat. In quo quidem Concilio Gregorius duodecimus per legatũ spontè se Põtificatu abdicauit: & Benedictus decimus tertius, re inibi penitus cognita, omni Pontificio honore & magistratu fuit priuatus: tũcq; schisma perniciosum desiit.

Martinus quintus P. M
Cap. CLXXXIIII.

ERat tunc annus humanæ salutis 1417. quãdo in Concilio Constanciensi Cardinaliũ omnium, necnon & nationum totius Christiani orbis, consensu, ipso die celebritatis S.

Martini

Martini Episcopi, abrogatis prius magistratu, potestate, & dignitatibus Pontificiis, Ioanne xxiii. Gregorio x. & Benedicto xiii. deligitur in Christi Vicarium, Martinus quintus, ciuis Romanus, ex nobili Columneusium familia natus. Is à primis annis, parentum cura, moribus, & literis ornatus iuri Pontificio Perusii operam fœliciter dedit. Porrò in Constãciẽsi Concilio quum sæpius in vtranq; partem altercationes haberentur: ipse medium quoddam, communi fauens vtilitati, in mediũ nunquàm nõn adferebat. Hanc ob causam & Imperatori Sigismundo, & Cardinalibus quibusq;, fuit pergratus. In summo itaq; Pontificatu Martinus constitutus omnia ad rem Christianam pertinentia accuratissimè, summa solertia, curauit. Vir benignus fuit, ac præter omnium opinionem quoq; sagax. Soluto proindè Constanciensi concilio, Florentiam Põtifex venit: locum pro rebus Ecclesiæ cõponendis opportunum. Vbi biennium fermè commoratus cum Bractio, qui permulta Ecclesiæ oppida occuparat, iuuantibus Florentinis, beneuolentiam iniit. † Cuius posteà Bra- 371
ctii opera Bononiam, quæ se anteà in libertatem vẽdicauerat, in Ecclesiæ potestatem, vnà cum nõnullis aliis ciuitatibus recepit: vt inde Martini auctoritas plurimùm cresceret. † Ci- 372
uitatem Florentinam honore Metropolitanæ
Ecclesiæ

Ecclesiæ decorauit. Qua demum relicta, Romam optatissimus, ceu patriæ parens, aduenit. Quam mirè deformatam reperit. Quarè Pōtifex pietate erga patriam motus, eam breui meliorem reddidit: Vir iste in omni eius vita integer semper fuit. Tandem anno sui Pōtificatus decimo quarto, mēse tertio, apoplexia tactus, diem functus est. Cuius obitū non aliter clerus populusq; Romanus defleuit, ac si ecclesia Dei, Vrbsq; Roma optimo parente orbata fuisset.

Eugenius quartus P. M.
Fœlix quintus.
Cap. CLXXXV.

DEfuncto Martino substituunt Romæ Cardinales Eugenium quartum, ciuem Venetum, Canonicū congregationis sancti Georgii in Alga, Ciuitatis Venetiarum. Iste fuit Gregorii duodecimi ex sorore nepos, & ab ipso Gregorio ad Cardinaliciam dignitatem vocatus. Hic, propter honoris Pontificii accessionem, minimè elatior factus, nulla in re pristinam vitam mutauit. Initio autē sui Pōtificatus malis vsus consiliis, diuina humanaq; turbauit: Populum Romanum ad arma exciuit: Decreta Concilii Basiliensis, vndè ingēs malorum moles confluxit, probare non dubitauit. Cæterùm posteà ad seipsum reuer-

sus, omnia prudenter cõstanterq; egit. In lectione Historiarum benè versatus: Liberalis in omnes, præsertim verò doctos, quorum familiaritate est delectatus, vixit. Leonardũ etenim Aretinum, Carolum Poggium, Aurispam Trapesuntium, Blondũ Forliuiensem, viros illo æuo doctissimos, à consiliis habuit. ✝ Hîc nã (vti ex eius Registro Romæ desum- 373
psi) missis legatis, pacem inter Albertum Austriacum, Romanorum Regem, & Vladislaũ Poloniæ Regem, pro regno Bohemico inuicem crudelissimè pugnantes, piè composuit. Cõtendentibus inuicẽ Rabano & Vlrico germanis nobilibus pro Archiepiscopatu Treuirensi, & ob id vniuersa regione illa ad extremam calamitatem redacta, pacem illis terris bonus pastor multo labore tandem peperit. Pacem inquàm inter Carolum Franciæ, & Hẽricum Angliæ Reges, summo labore, summaquè ope Eugenius cõponere studuit. Gymnasium generale in ditiõe Caroli Ducis Borbonii erexit. Pacem rursum inter Ioannem Episcopum Herbipolensem, & capitulum eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, ac omnes ciues illius loci sua auctoritate ponere, auidissimè, nec infœliciter quidem, laborauit. Et alia deniq; multa pro Christi Ecclesia, proq; vniuersi orbis salute benignus iste omniũ parens præclarè præstitit. Ad Germanicam fidẽ

nunc

nunc redeo. Porrò fuit Eugenius aspectu venerãdus: in dicendo grauis potius, quàm eloquens. Ob illatas iniurias, & hominum scurrilitatem, non facilè ad iram est motus. Gymnasia literarum, maximè autem Romanum, fouit, auxitq́;. Viros religiosos, quos immunitatibus, & diuitiis perlubẽs donabat, summè dilexit. Constãs in pactionibus seruandis, splẽdidior in familæ victu, in suo parcior, ac penè abstemius, habitus est. Cùm autem suggestionibus Philippi Mediolanensium Ducis in Basiliensi cõcilio Eugenius absens deponeretur à Põtificatu, substitueretur q́; illi Fœlix quintus, ipse Eugenius Delphinum, Caroli Regis Franciæ filium, magno cum equitatu in Basilienses, ut conuentus ille dissolueretur, concitauit. Cuius consilium effectu nequaquàm caruit. Aufugerẽ etenim illinc omnes. Adhæc, Sigismũdus Imperator in Italia semis circiter semestre tempus dum moraretur, cum
374 Eugenio fœdus percusit: † Romamq́; profectus imperiali corona ab ipso Eugenio insignitus fuit. Deniq; Sigismundo Cæsare de-
375 functo, † Concilium Ferrariæ indixit: quò & Græcorum Imperator accessit: demùm indè Florentiam illud transtulit. Ecclesiàs Dei ædificiis & sacellis ornare dehinc posteà studuit. Postremò moritur Eugenius, vir ingenio & rebus gestis, præclarus, anno suæ Crea-

tionis xvi. septimo Kalẽdas Martii. Sepelitur Romæ in Basilica Diui Petri. Cuius Sepulchro distichon inscriptum, elegãs & laudis plenum, huiusmodi circumfertur.

Eugenius iacet hic quartus, cor nobile, cuius
Testantur uitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu:
Alter ab occasu Cæsar: uterq; pedes.
Alter ut accipiat fidei documenta latinæ:
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce et Armenii Graiorũ exẽplã sequuti:
Romanici agnorunt, æthiopesq; fidem.

Ad Concilium Basiliense, cuius anteà meminimus, redeo. † Illud quippè concilium à 376
Martino quinto initium sumpsit: quò Bohemorum hæresis penitùs aboleretur, & reformatio Ecclesiæ fieret. Enimuerò cernens Eugenius aliud inibi agi, quàm id, cuius causa fuerat potissimè institutum: illud indè Bononiam sua auctoritate transtulit. At nihil minus Imperator Sigismundus, aliiq; principes, & prælati, qui tùm Basileæ aderant, cogitarunt, quàm ut pontifici parerent. Imò verò ipsum bis terq; monuerunt, vt se Basileam cõferret, & concilio vnà cum Cardinalibus, quos secũ habebat, primo quoq; tẽpore se sisteret: Alioquin se in illum, vti contumacem, acturos interminati sunt. Eugenius tum misso legato, causam suã apud eos tuebatur. † Verùm in- 377

stante Philippo Mediolanésium Duce, Eugenius, sicut anteà tradidi, Pontificio magistratu (quantum in ipso concilio fuit) priuatur: & Amedeus Sabaudiæ Dux Antipapa inibi vna opera designatur: cui & nomen Fœlici quinto ab omnibus imponitur. Schisma istud in ecclesia Dei factum est Basileæ Anno Christi Saluatoris 1438. decima septima die Nouembris. Hinc sanè Ecclesia trifariam tunc seditiosè scindebatur. Quidam etenim Eugeniũ sequebantur: alii Fœlicem probabant: nonnulli verò neutri accedebãt: qui & neutrales vulgò appellabantur.

Hic ergò fœlix (vt de illo iam pauca dicamus) Dux Sabudiæ fuit, Amedeus proprio nomine nuncupatus. Qui post patrem annos circiter quadraginta prouinciam administrauit. Demùm auctus paternis opibus & titulis, & pace vndiq; parta, illius principatus despexit honores: atq; concesso ducatu primò eius genito, in hæremum vnà cum sex delectis viris, Equestris ordinis, ætate etiam grandæuus, se recepit. Electus dein à Basiliensi concilio, vt dixi, Antipontifex, hæremum deserit, Basileam magna nobilium stipatus caterua contendit: vbi inter duos eius filios, egregia forma adolescẽtes, velut Romanæ Ecclesiæ præsul, est coronatus. Ecclesiasticas ceremonias didicit: sacra sæpius fecit: plebi benedixit: Of-

ficia curiæ dispoſuit: Cardinales, viros doctrina & auctoritate præſtantes, creauit. Cæterùm quia pacem & humilitatem oſtentabat, vbi poſt Eugenii Pontificis obitum, Nicolaus quintus Romæ Pontifex Maximus eſt renunciatus, vltrò ipſe, aut etiam hortatu Friderici tertii Cæſaris, Nicolao ceſsit. Quē poſteà, Nicolaus Cardinalem, & per Germaniam legatum, conſtituit. Princeps hîc Amedeus, fuit generis nobilitate, formæ corporis pulchritudine, clariſsimus. Valuit eloquentia: bonis floruit moribus: Iuſtus, religioſus (ſi politicam vitam ſpectes) in ſubditos clemens, & pius, in re bellica magnanimus, ac nimiùm deniq; Fœlix, & beatus, ſi eccleſiaſticis titulis ſenium ſuum ambitioſè non immiſcuiſſet.

Nicolaus quintus P. M. Cap. CLXXXVI.

NIcolaum quintum ſubrogant in Pontificatu Romæ Cardinales, Sarzana Lucenſium oppido oriundum: humili quidem loco natum, ſed virum ſanè propter doctrinam, liberalitatem, & animi magnitudinem, tanto principatu digniſsimum. Fouit magnoperè doctos: quos munificentia, beneficiis, atq; liberalitate, eſt proſequutus. In vertendis è Græco in latinum auctoribus, vel in libris nouè componendis, ità doctos præmiis, honoribuſuè,

378 ribusfuè, excitauit. † vt literæ græcæ & latinæ, quæ sexcentos anteà annos in situ & squalore delituerant, tùm demùm florere cœperint. Misit per omnia Europæ loca viros doctos, conquisitum vndiq; libros, qui & maiorum neglig ẽtia, & Barbarorum rapinis perie-
379 rant. † Hic erga Deum & homines præclarè semper meritus, vno eodemq; anno Episcopatum Bononiensem, purpuræ dignitatem, & summum subindè adeptus est Pontificatum. Inito Pontificatu, cunctos orbis Christiani Principes, præter omnium opinionem, in sui amorem, admirationemq; simul traxit. Ea re nimirùm permotus Fœlix quintus, hortante forsan quoq; Friderico Cæsare, Antipapatu (quemadmodum superiore loco tra-
380 didimus) se spontè abdicauit. Quamobrem non solùm Populus Romanus, sed & totus
380 orbis Christianus summè est gauisus. † Proptereà & Fridericus tertius vnà cum coniuge Leonora Romani Imperii coronam, cum benedictione de manu Nicolai Romæ accepit. Multa etiam gloriosus iste Pontifex templorum ædificia in vrbe & extra magnifi-
381 centissimè extruxit: quemadmodum apud Sanctam Mariam ad Præsepe: Templum sancti Stephani: Templum sancti Theodori: Pantheon in medio vrbis positum, Agrippæ opus plumbeo tecto restitutum, est videre.

dere. In Vaticano autem Pontificias ædes 378
in hanc penè, quam cernimus formam, redegit. Muros Vaticani, altitudine & densitate amplissimos, ingentem molem, quibus prohiberi hostes atq; direptiones templi diui Petri deinceps possent, incohauit. Extant fortassis etiamnum vasa auri & argenti, cruces 379
gemmis preciosis ornatæ, sacerdotales vestes, cum Mitra Pontificia, ab hoc insigni Pontifice Dei templo parata. Libros permultos (cùm adhuc ars impræssoria incognita foret) exscribi curauit. Eleemosinas pauperibus, & ægenis Virginibus, frequenter & splẽdidè dedit. Officium nullum vnquàm vendidit. Gratus erga se meritis: Iustitiæ & pacis amans vixit. Iubileum anno Christi 1450. habuit. † Diuum Bernardinum, ordinis Mino- 381
rum, Sanctorum albo adnumerauit. Nouissimè siuè tædio animi, † quo nimis, propter 382
captam à Turcis illa tempestate Constantinopolim, discruciabatur: siuè febri, aut podagra, qua cum haud rarò conflictabatur, vitam Beatus Pontifex finiuit: anno scilicet suæ dignitatis octauo.
† Summus iste Pontifex Nicolaus Anno 383
Christi 1444. Treuiri studium generale, siuè Gymnasium, in sacra Theologia, iure Canonico, & ciuili, necnon & in quauis alia licita facultate, erexit: idq; Coloniensi studio

generali,

generali, à Sancta sede Romana anteà dudùm constituto, per omnia exequauit, ac bonis & reditibus Ecclesiasticis dotauit. Petiit autē supplex à Nicolao illud Gymnasiū ita eo in loco poni Iacobus de Sirich, Archiepiscopus eiusdē loci Treuiris, quemadmodum Registri Romani de gestis ipsius Nicolai Archety-
384 pus amplissimè ostendit. † Et rursùm anno salutis 1450. studium generale in artibus Bisuntii, permissu & auctoritate optimi Pontificis Nicolai, erectum fuit; quemadmodū eiusdem quoq; intercessione, amicitia, & pacificatio inter Archiepiscopum illius Bisuntinæ vrbis & ciues fuit eodem fermè tempore constituta. Quanta pietate, quantaue religione, & erga Christum, eiusq; Vicarios Pontifices Romanos, timore, & obseruantia, floruerit Inclyta Germania sub hoc eximio Pōtifice Nicolao, & Friderico Rege Romanorū, Romanus Registrorum eiusdem Nicolai su-
385 perq; satis indicat Archetypus: † quandò per ipsum Regem tota penè Germania supplex Nicolao Pontifici facta petiit, sibi ipsis vitio & peccato non verti, quòd Iudæos in suis ditionibus ac terris (fœnoris exercendi, & cōmoditatis Christianorum ergò) fouerent. Ad hæc, Fridericum Austriacum Imperii corona, vt dixi, insigniuit Nicolaus. Verùm quòd ea res & Augustiss. domus Austriacæ gloriā,

& ſanctæ Sedis Romanæ auctoritatem continet: meritò illam, prout de Regiſtro ipſius Nicolai Romano fideliſsimè deſumpſi, hoc loco ſubiiciam.

Nicolaus quintus ſeruus ſeruorum Dei Ad futuram rei memoriam.

IMperator æternus Vniuerſæ Maieſtatis ſuæ cuncta cœleſtia ſimul & terrena gubernãs, totum orbem ſub ditione regnorum & illorum principatu conſtituit ſalubriter gubernari: nè ſtatum humanæ creaturæ, ad imaginem ſui creatoris formatæ, Mundi tẽpeſtuoſæ fluctuationes confunderent, vel eius quietis dulcedinem impedirẽt. Quinimò ut omnes ſub iuris & honeſtatis legibus vitã pacifica viuerent, & ab offenſis alteruter abſtineret, naturaliq; affectu factorem ſuum cognoſcerent, agnitum colerent, & ſuo reuerenter Imperio ſubiacerent. Demùm verò creaturam ipſam ab ipſius factoris agnitione deuiam, ſuoq; cultu aberrare proſpiciens, vnigenitum ſuum miſit in mundum, vt eam ad agnitionem & cultum huiuſmodi reuocaret, & ſui faceret regni cohæredem. Qui rediturus ad patrem Apoſtolorum principem ſibi Vicarium inſtituit, vt cunctis cura ſalutis ſuperintenderet, & comiſsis populis ſibi ſalubriter præſideret. Nos igitur, qui, licet immeriti, ipſius Apoſtolorum principis, in hu-

huiuſmodi

iusmodi eius Vicariatu, sumus à Domino constituti successores, & ecclesiæ militanti, sub qua & sacrum Romanum Imperium dicto Imperatori æterno famulatur, sua miseratione præsidemus, quo ad hoc peruigili cura commißi nobis officii debitum libenter exequimur, vt ipsius Imperii, & singulorum iura regnorum sub salubri regimine ad Domini nostri gloriam, catholicæ fidei propagationem, & totius Reipublicæ prosperitatem fideliter tueantur, & fœliciter gubernentur. Cùm itaq; dudùm sacrum Romanum Imperium per obitum claræ memoriæ Alberti Regis Romanorum Principis, qui illius gubernacula geßit, foret solatio viduatum: Venerabiles fratres nostri & dilecti filii, nobiles viri ipsius Imperii electores, ad inclytam domũ Austriæ, quæ Regem prædictum, ac charißimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustũ genuit, conuertentes intuitus suos, & permoti generositate, vita, moribus, & virtutũ meritis præclarißimis, quibus idem charißimus filius noster Fridericus præfulgere dignoscitur, ipsis spem indubiam pollicẽtibus, quòd eiusdem Alberti, quem Chatholicum, & pium Principem, iustitiæ zelatorem, fidei & Ecclesiæ fidelißimum protectorem, & omnium virtutum plenitudine redimitum, vni-

uerſa cõmemorat Eccleſia, imitator eſſe ſtudeat integerrimus, in Romanorum Regem poſtmodum in futurum Imperatorem promouendum, vnanimi voto, diuina diſponente clementia, eundem Fridericum concorditer elegerunt. Idem verò Fridericus, digeſta meditatione præuia, ad eorundem electorũ inſtantiam electioni huiuſmodi conſentiens, & humeros ſuos Regni tutelæ gerẽdæ prompta deuotione ſubmittens, Regali per eum ſuſcepta infula, de virtutibus in virtutes proficiſcens, merita maiorum ſuorũ accumulãs, per annos ferè duodecim Regni ſui gubernacula adeò prouidè, vtiliter, & ſalubriter, geſſit, eccleſiæ vnitati, & ipſius regni proſperitati, ſingulorumq́; ſeruandis iuribus, & fidelibus quibuslibet, & pacis ſucceſsibus votiuè dirigendis diligenter intentus, vt ipſum Imperium tàm prouidi, fidelis, & pii prædicti fœlici regimini multipliciter gaudeat ſe commiſſum. Poſtmodùm autem idem filius noſter chariſsimus ad honorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Imperii decus, victoriæ vnctionem, & Imperiale diadema ab ipſa Eccleſia ſuſcepturus, noſtro ſe conſpectui præſentauit: & illa per manus noſtras ſibi impendi humiliter ſupplicauit. Et quàmquàm in minoribus cõſtituti de meritis & virtutibus ſuis fuiſſemus ſufficienter edocti: Nihilominus

 ea, quæ

ea, quæ laudis suæ præconia nostris auribus retulerunt, experimento censemus fore lōgè maiora, quàm famæ facultas sufficiat explicare. Nos igitur votis suis non immeritò benignum conferentes auditum, ipsius æternæ charitatis, & debiti honoris constringentes amplexibus, eundem filium nostrum charissimum, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dilig̃eti deliberatione præhabita, de eorundẽ fratrũ consilio, ad gloriã omnipotentis Dei, & gloriosæ semper Virginis Mariæ, & Beatorũ Apostolorũ Petri & Pauli, exaltationemq; & honorẽ dictæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Imperii, ad suscipiendum Imperiales dignitates dignum & idoneũ declarauimus: & electionem approbantes, eandem sibi per manus venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Portuensis vnctionem huiusmodi impendi fecimus: & tandem collatis sibi omnibus dignitatibus, huiusmodi insigni Imperiali ipsum diademate supradicto duximus coronãdum: supplentes omnes defectus (si qui aut ratione formæ, aut ratione personæ suæ, aut personarum dictorum electorum, seu quauis alia ratione, vel causa in huiusmodi electione interuenerint) quouis modo ex certa scientia, & Apostolicæ plenitudine potestatis. Omnibus verò interim fidelibus vasallis, & subdi-

tis

tis præfati Imperii, cuiuſcunq; conditionis exiſtant, etiam ſi regali, aut pōtificali dignitate præfulgeant, diſtrictè præcipimus, quatenus præfato Imperatori, vt tenentur, efficaciter pareant, & intendant. Nulli ergò omninò liceat, hanc paginam noſtræ approbationis, & ſupplicationis, infringere vel ei auſu temerario contrauenire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringẽteſimo primo, quartodecimo Kalen. Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſexto.

† En ergò qua ratione, quoue ordine, in 386
Romanorum Regem electus debeat ad Imperiale culmen prouehi, Primùm nanq; Romano Pontifici Rex electus ſe humiliter præſentare debet, & quod ab ipſo Imperii conferatur corona, petere: demùm Papæ munus eſt (ſi audiendam electi petitionem duxerit) electi eiuſdem perſonam Imperij cura & adminiſtratione dignam declarare: dein electionem de illo factam approbare: poſtmodum Imperii coronam cum ſacra vnctione eidem tribuere: Nouiſsimè ſummus Pontifex omnibus fidelibus vaſallis, & ſubditis Romani Imperii cuiuſcunq; conditionis illi exiſtant,

etiamſi

etiamsi regali, vel pontificali, dignitate præfulgeant, seriò præcipere debet, ut constituto Imperatori sedulò pareāt, obsequanturq;. Vt hinc planè constet (licet aliàs quoq; affatim) Cæsarem, qui corona imperatoria non sit à Papa donatus, nullum alium (absq; Papæ licentia) maiorem titulum, quàm Regis
387 Romanorum, sibi vsurpare posse. † Atqui neq; etiam Rex Romanorū propriè dici poterit, priusquàm ab eodem Romano Pontifice fuerit honore Imperii & Magistratu dignus iudicatus, de ipsoq; facta electio approbata: quemadmodum ex iam memoratis cernere est. *c. Venerabilem. ex. de electio.*

Calixtus tertius P. M.
Cap. CLXXXVII.

SVfficitur in decrepita ætate cōstitutus Nicolao quinto Calixtus tertius, natione Hispanus, Valentia vrbe oriundus, claris natus parentibus, Alphonsus Boria anteà nuncupatus: Vir Iuris Pontificii atq; Cæsarei scientia & titulis decoratus. Qui, suscepto Pontificatu, bellum Turcis statim indixit. Id enim se ante Pontificatum nouisse, testatus est. Quāobrem concionatores in vniuersam Europam ilicò emisit: qui Christianos omnes in Turcas animarent. Sedecim triremes, Romæ fabricatas, quibus Patriarcham Aquileiensem præfecit,

fecit, in hostes misit: & his continuo triennio Asiaticum mare, magnis in hostes illatis cladibus, Patriarcha percurrit. Alphonsum Hispaniæ Regem, & Burgundiæ Ducem, signo crucis suscepto, ad eam expeditionem concitauit. † Statuit prætereà Calixtus, signum 388
Campanis in meridie dari, quò orationibus assiduis Christi fideles Deum contra Turcas pro nostris militibus suppliciter rogaret. Ob id & celebrationem officii transfigurationis Domini nostri IESV Christi ipse Pontifex instituit: iussitq; eo modo, atq; his Indulgentiis haberi debere, quibus & solēnitas corporis Christi. Misit Ludouicum Bononiensem ordinis Minorum, ad Regem Persarum, & Armeniæ Principem, necnon & Tartarorum Regem: quos multis verbis, & magnis muneribus flexit: vt clades Turcis graues intulerint. † Subindè Diuum Vincentium ordinis 389
Prædicatorum, natione Hispanum, eius cōciuem, & Beatum Edimundum Anglicum, Collegio Diuorum adscripsit. Calixtus autē per omnem eius vitam integerrimus, in eleemosinis largus, in victu parcus, in sermone modestissimus, moritur Pontificatus sui anno tertio, mense tertio, die decimo sexto. Reliquit in Thesauris Ecclesiæ cētum & quindecim millia nummum aureorum: quos ad bellum Turcicum pius vir parauerat.

Pius

Pius secundus P. M.
Cap. CLXXXVIII.

PIus secundus, antea Aeneas Siluius Piccolhomineus Senensis vocatus, in Pontificē Maximum, concordibus Cardinalium suffragiis, eligitur: Vir quippe eloquentissimus, prudentiæ singularis, & omni laude dignus: qui non ad ocyum, sed ad res maximas peragendas natus videbatur. In studiis bonarum literarum, vbi per ætatem licuit, ita fœliciter est versatus, vt Poeta atq; Orator insignis, & Iureconsultus eximius, euaserit. Friderico tertio Imperatori, ob eius virtutes, p̄gratus semper fuit. Multa sui nominis monumenta, quæ adhuc in hominum manibus versantur, cum Germaniæ descriptione, edidit. Accepta dein Pontificia corona, ecclesiæ statum cumprimis disposuit: indè se totum ad Reipublicæ Christianæ curam cōuertens.
390 † Proindè Sigismundum, Austriæ Ducem, quòd in Cardinalem sancti Petri ad vincula animaduertisset, anathemate percusit: Maguntinum Archiepiscopum è sede deiecit. Beneuentanum Antistitem loco summouit. Nihil vnquàm Regibus, aut populis, timore, vel auaricia, concessit. Katherinam Senensem inter sanctas Chisti Virgines retulit.
391 † Caput sancti Andreæ Apostoli, è Peloponeso Ro-

mam allatum, in æde diui Petri, in facello ad hoc extructo, vbi & ipse Pius post eius obitũ sepeliri voluit, piè recondit. Pragmaticam in Gallia abrogauit. Fodinas inuenti tunc primùm Aluminis apud Tolfam instituit. Iustitiæ & religionis cultor strenuus sua ætate floruit. Inter Ferdinandum Regem Aragoniæ, & Sigismundum Malatestam inimicitias, quæ erant, sustulit: † quò Mantuam, vbi ingen- 392
tem Christianorum conuentum, belli Turcici parandi gratia, indixerat, tutò cuiq; proficisci liceret. Vrbem Romam Pius hîc pater Aeneas pluribus exornauit ædificiis. Fuit magna cõtinentia vir: desidiæ & ocyo acerrimus hostis. Duodecim Cardinales toto suo Pontificatu creauit. Qui demùm Anconæ dùm Venetorum Ducem, belli Turcici socium, ad proficiscẽdum in expeditionem expectat, febricula tenui confectus obiit, anno suæ sedis sexto, minus diebus sex: Christi verò & humanæ salutis 1464.

Præclara multa gessit Pontifex iste, re & nomine pius. Inter reliqua verò celeberrima eius facinora, & illud insigne fuit: † quòd in 393
pluribus (Germaniæ præsertim) locis Gymnasia publica erexit. Basiliensibus enim (vti Romanus nobis indicat Registrorum Archetypus) illud, instar Bononiensis Gymnasii, suæ ciuitati obnixè petẽtibus, dedit. Erphor-

densibus in Turingia idem Gymnasii publici beneficium tribuit: Heydelbergensibus ad Rhenum id quoq; cócessit. Quod & alii Pótifices Romani variis in locis benignè constituerunt: quemadmodum Vrbanus sextus, & Bonifacius nonus, in Colonia Vrbe: Nicolaus quintus, Treuiri: Eugenius quartus, Louanii: Sixtus quartus, Ingolstadii, necnon & Tubingæ: Alexander quintus, Lipsiæ: Alexander sextus, Vitebergæ in Saxonia, vndè pestilentissima dein hæresis Lutherica fluxit, necnon & Franchophordii ad Viadrum: Clemens vii. Marpurgi in Hassia: & alii aliis in locis illud idem summa pietate fecerunt.

Cæterùm verò quoniam præstat, opinor, propter malorum improbitatem, & hæreticorum cæcitatem, non ignorare causas, cur publica hæc, & id genus alia, in orbe Christiano constituta sint Gymnasia: ideoq; vnũ quasi de multis exemplum, pro huius rei cõ-
394 gnitione, subiecisse sufficiat. † Basilienfibus nanq; (vt dixi) Pius iste secundus anno salutis 1459. ob id generale studium (sicut alii Pontifices in aliis locis passim fecerunt) inibi cõcessit: quò fides catholica cumprimis (prout in ipsa concessione disertis verbis traditur) amplificaretur, & bonæ artes simul ad Rei-
395 pubublicæ vsum docerentur. † Igitur si iam fides catholica illic, aliisq; in variarũ hæresum

& cótentionum locis non augeatur, nó iuuetur, non doceatur: sed oppugnetur, irrideatur, contemnatur, & optatus fructus nó reddatur. Si bonæ deniq; artes in illis non foueãtur Gymnasiis, sed malæ & debacchationibus, perniciosisq; dissensionibus accommodæ, colantur: si de summo Pontifice Romano, Christi in terris Vicario, hi, quibus maxima hæc Scholarum beneficia idem Pontifex dedit, pessimè indies mereantur: vtiq; exemplo Vineæ Domini, mali Agricolæ malè perire debẽt: & prærogatiuis, immunitatibus, ac omni prorsus auctoritate, Gymnasia illa carere,
æquissimum, quinimò necessariũ est. Porrò sicut liberos, à parentibus emancipationis 396
honore donatos, ingratitudo ipsorum in patriam reuocat potestatem; ac omnes beneficiarios, qui malè grati, collata eis beneficia non agnoscunt, eadem legis æquitas punit: Siquidem donatarius rem donatam reuocat ingratitudo: & feudum vasallis accepti beneficii adimit obliuio: ac liberis debitam, naturæ voto, parentum hæreditatem, eiusdem naturæ æquissima ratio ingratis aufert: quæ quidem hæreditatis priuatio multò magis liberis etiam accidit, vbi à Sacrosancta catholica Religione in errorum seu hæresum tenebras cadunt: ita nostrorum temporum hæretici omnibus bonis à Deo, & Apostolica Sede

Bona gloss. ad hoc in c. suggestũ. in uer. priuilegia. e c. de decimis.

l. unica. C. de ingra. liber.

l. Generaliter. C. de reuocand. donatio.

c. 1. §. Itẽ si fidelis. §. similiter. in tit. quib. mo. feud. amitt.

§. aliud quoq;. cũ §§. sequẽ. in aut. ut cum de appell.

§. siquis de prædictis parentib. in aut. eod. Vt cũ de appel. cognos.

Romana olim sibi collatis iustissime carebũt.
Sed explicatius magis aliquid de iusta hac priuatione Scholarum, nacti occasionem, tradamus.
397 † Agnoscere dubio procul reuerenter debent Imperatores, Reges, Populi, Principes terræ, & singuli quiq; omnes, quibus magnum hoc scholarum siue Gymnasiorum beneficium ab Apostolica Sede Romana vniuerso in orbe Christiano datum est, Papam Romanum (etsi aliàs quoq; omninò, propter potestatem summa cum dignitate coniunctã, à Christo illi tributam) dominum & benefactorem suum: de illo honestè loqui ac sentire: personam Papæ sanctam & venerabilem existimare: accepto beneficio, benè & syncerè ytiratq; in omnibus sese illi gratos & obsequentes palàm exhibere.
398 † Alioquin si cõcessis priuilegiis abutantur (velut quia hæreticorum professores in scholis alant, scurras, & in Deum, atq; eius Vicarium, blasphemos inibi patiantur, aut candidatos malè de fide catholica, vel de summo Pontifice, & Apostolica sede Romana, sentientes illic promoueri sinant) aut erga apostolicam sedem Romanã ingrati (quoniam reddant malum pro bono) existant: vel linguam aduersus Papam, ipsorum dominum, non compescant: seu graues illi irrogent iniurias: omnibus scholarum priuilegiis,

c. Priuilegiũ xi. q. 3. c. gratũ gerimus. ex. de postula. præla. c. Vbi ista didicisti. 24. distin. glos. Abba. & alii in c. suggestũ. ex. de Decimis.

uilegiis,

uilegiis, immunitatibus, & beneficiis, illos meritò oportet exui. Ideoq; in simili scribit Matthæus de Afflictis, quòd ingratitudo vasalli: est iusta causa priuationis feudi, & Dominum suum opere, ac sermone debet benè tractare. Quippè iniquissimum, & rationi naturæ prorsus contrarium est, hæreticos, qui Sacrosanctam Apostolicam Sedem Romanã, eiusq; Præsulem, impiis conatibus expugnare conantur, indè honores & commoda referre. Ob id testãtur Doctores, quòd beneficiarius accusans Dominum suum, perdit feudum. Vndè licet hæretici sint alioquin ipso iure priuati omnibus priuilegiis & beneficiis Apostolicæ sedis, quemadmodum sub tit. de hæreticis in Codice Iustiniano, Decretalibus, aliisq; in locis est videre: † attamen & quò 399
magis hæc quoq; vulgo notiora fierent, & occulti hæretici non amplius posthac laterent, possent omnes Scholarum Rectores, Decani facultatum, seu collegiorum, vnà cum professoribus earundẽ legitimè moneri, ut quo iure, & titulo, illic profiterentur, promotiones & insignia dignitatum conferrent, Sanctæ Apostolicæ Sedi Romanæ intra certum tempus planè ostenderent. † Sicut enim Va- 400
sallus tenetur ostendere Domino suo petenti bona feudalia, necnon & titulum feudi, & ob solam aliàs feudi inficiationẽ, Vasallus eo priuatur,

Decisione 265. sub num. 58.61. 99.104. Probè conuenit decisioni Afflicti. l. liberto et fillio. ff. de obsequ. d liber. & libert.

c. ex eo nõ debet. de regu. iur. lib. 6. l. Papinianus §. meminisse. ff. de inoffi. testa. l. Alia. C. de his quib. ut indign.

Vti tradit Matthæus de Afflict. eadem Decisione 265. sub. num. 86. 87.

uatur, secundum Doctores omnes: ita eiuscemodi Scholarum Rectores, Decani, & Professores, propter eandem nimirùm beneficii rationem, possent atq; deberent sub eadem priuationis pœna iure ad id constringi. Ad hæc, referēda huc est decisio Bart. adfirmantis, priuilegiū libertatis à Cæsare cōcessum quibusdam Italiæ populis, posse per ipsum Cæsarem quandocunq; reuocari. Idem tradit Baldus
401 (sed aliquantò moderatius) scribens: † Si populi, quibus priuilegium libertatis Cæsar dedit, fierent rebelles Imperii, ab ipso Cæsare libertatis donatæ priuilegio, possent priuari. Ad Maximorum Pontificum ordinem cum Germanis redeo.

In. l. hostes. col. 1. ff. de captiu. & postlimin. reuers.

In. c. sicut. l'ult. sub. num. 6. ex. de iureiuran.

Paulus secundus P. M.
Cap. CLXXXIX.

Pium secundū subsequitur in ordine Paulus identidem secundus, natione Venetus, Eugenii quarti ex sorore nepos. Qui, mercaturæ causa, peregrè profecturus, audiēs Eugenium Auunculum ad summos Pontificatus honores euectum, sententiam mutauit, ad literarumq; studia animum protinus appulit. Bella duo Italica mediocria Pontifex creatus gerere cœpit, quæ non multò post etiam deseruit. In corradēda pecunia studiosior Paulus fuit: qui eā quoq; liberaliter erogauit.

gauit. Porrò inopes Cardinales, Episcopos, Principes, nobiles, & domo sua pulsos exules, virgines, viduas, & ægrotos, frequẽter iuuit. Effecit, ut Romæ Annona, reliquaq; obsonia, vilius, quàm anteà, haberentur. Magnifica cùm apud Vaticanũm, tùm apud Diuũ Marcum, ædificia condidit. Iustus quoq; Pontifex existimatus est; Clemẽs quippe fuit. Sed morosus atq; difficilis. Quæ res subditis, atq; familiaribus, molesta esse solet. Canonicos regulares è sancto Ioanne Laterano, per Calixtũ 10 p Pontificem pulsos, pristinis restituit sedibus. † Ob perfidiam Gregorii Bohemiæ regis, hæ- 402 resibus addictissimi, Hungaros & Germanos in regem ipsum concitauit, bonisq; & honoribus cunctis, eum exuit. In Pontificio ornatu reliquos eius antecessores longè superauit. Mitram Põtificiã, multis varii generis coemptis preciosissimis gẽmis, splendidissimẽ auxit. In suo Põtificatu decem viros ad Purpuræ honores extulit. Moritur deniq; apoplexia correptus, post annos sui Pontificatus sex, mense nimirùm vndecimo.

Sixtus quartus P. M.
Cap. CLXXXX.

CONscendit summum Põtificatus apicem Sixtus quartus, natione Ligur, Sauona Vrbe oriundus: Francisco illi anteà nomen

fuit,

fuit,& ordinis Minorũ generali ministro. Is à
pueritia vsq; diuinis misteriis à parentibus de-
dicatus, tantum in liberalibus disciplinis profe-
cit: vt vniuersum orbem, vir eruditione clarus,
splẽdidissimis sapiẽtiæ radiis, illustrarit. Scripsit
nanq; librum de potentia Dei: librũ de sangui-
104 ne Christi: librum de futuris contingentibus:
librum de conceptione Beatæ Mariæ Virginis;
& alia quædã huiusmodi pietatis suæ documẽ-
tã ædidit. Laudatur Sixtus quoq; à continentia
105 vitæ, mansuetudine, & in pauperes cùmprimis
munificẽtia. Principes nãq;, & nobiles, à patria
factos exules (quemadmodum Palleologorũ fi-
lios, Bosinæ Reginam, bello turcico ẽ propriis
sedibus pulsos) pecuniis, gratia, & fauore iuuit.
Rhodiorum milites, ac Ferdinãdum Aragoniæ
Regẽ, à Turcis vexatos incredibili pietate fo-
uit. Erga amicos & familiares iucundũ, in delin
quentes clementem, nunquàm non se præbuit.
Vrbem Romam cœnosam, & plerisq; in locis
iam iã collabentem, instaurauit: plateas incul-
tiores decentissimè strauit. Tyberis pontem in-
genti sumptu, extruxit, à suoq; nomine, *Sixti*
pontem, dici deinceps voluit. Aedes Pontificis
apud sanctũ Petrum multò cultiores reddidit.
Hospitale sancti Spiritus in Vaticano magnifi-
cẽtissimè restituit: in quo totius vitæ suæ ordi-
nem depingi accuratè voluit. Et quum Beatis-
simæ Virgini Mariæ, summa deuotione, ad-

dictißimus esset: Ecclesiam sanctæ Mariæ de populo egregiè decorauit: Permultaq; alia Romanæ vrbi contulit beneficia. Neq; in toto eius Pontificatu quicquàm egit, quod iustè (excepta forsan suorum propinquorum causa) repræhendi potuerit. Etenim quum Ordelaphos è Foro Iulii depulisset: † Hieronymo Riario, 403
propinquo suo, illud concessit: Cuius tamen Riarii consilio arduis in rebus Pontifex vtebatur. Iubileum, à Paulo prædecessore institutũ; Anno salutis 1475. celebrauit. † Bonauentu- 404
ram sanctorum confessorum albo inscripsit: Hîc porrò Pontifex etsi multos habuit detrectatores: optimus tamẽ vir fuit. Studiosißimũ enim animarum custodem se præstitit: cupiditates abiècit: iram cõpræssit: malitias hominũ, quoad eius fieri potuit, radicitus euulsit. Viginti Cardinales per omne tempus sui Pontificatus creauit. Moritur deniq; anno suæ sedis decimo tertio.

Ad immortalitatem & nominis Sixti gloriã illud prætereà accessit, vt multa quoq; alia generi humano, Germanis præsertim, ipse (sicuti eius etiã antecessores) cõtulerit beneficia. Porrò Vniuersitatem Heidelbergensem, Apostolica auctoritate anteà constitutam, in qua Medicinæ professor propter inopiã redituũ nihilominus apprimè desiderabatur; applicatis annuis fructibus Ecclesiasticis, ãno Domini 1475.

ad preces Friderici Comitis palatini Rheni, insignẽ reddidit. Ciuibus Luneburgensibus, qui id ab eo humiliter efflagitarũt, benignè dedit: vt in eorum Imperiali oppido Luneburgo possent non modò leges publicè doceri, sed & aliæ etiam licitæ facultates à professoribus prælegi, ac in qualibet facultate promotiones fieri, & gradus (quemadmodùm in reliquis generalibus Gymnasiis) conferri: inibiq; commorantes professores, atq; Scholares, magnis immunitatibus & prærogatiuis ornauit: vt in Registris rerum ipsius Sixti Romæ cuncta prolixè legi.

405 Adhæc, Magister ciuium, consules, & tota deniq; communitas Ciuitatis, seu insignis oppidi, Norimbergensis, cũ variis, & miseris per eorum vicinos vexaretur modis (euocabantur enim in omnibus prophanis causis ad diuersa Bauariæ, Franconiæ, & aliarum prouinciarum iudicia, in quibus agere, & respõdere, maximo ingentiq; illorum incõmodo, cogebantur) Sixtus iste quartus, anno Christi proximè memorato, eos suo beneficio iuuit: Siquidem ad humilem supplicationem eiusdem Magistri ciuiũ, consulum, & communitatis, non modò antiquas eorum immunitates, & priuilegia, quæ illis non seruabantur, Apostolica auctoritate cõfirmauit. Sed quò magis Norimbergensibus, tunc sanè miseris & infœlicibus, esset consultũ, tribus iniunxit Abbatibus, Herbipolensi, No-

rimbergensi sancti Egydii, & Erphordiensi sancti Petri, ut eis deinceps curæ esset, omnibus Apostolicæ sedis remediis curare, nè quisquàm illius Ciuitatis, aut subditorum, in causis prophanis, extra ciuitatem Norimbergensem, ad aliud vlla ratione euocaretur iudicium: verùm sub eorum Iudice tantum, Sculteto nuncupato, ab Imperatoribus olim deputato, in ciuitate iudicia huiusmodi exercerentur. Horum omnium amplißima etiamnùm extant in Archetypo Registrorum Sixti Romano testimonia: vt si vel Norimbergensibus, aut aliis memoria fortè hæc excidissent, hinc eadem facilè haurire queant.

Innocentius octauus P. M.
Cap. CLXXXXI.

SVffectus est in locum Sixti defuncti Innocētius octauus, Genua oriundus, ex honorata Ciborū familia suum ducens genus. Hîc quū inter Cardinales anteà pauperior, & humanior haberetur: amenitate ingenii, dexteritate, atq; modestia, commendaretur: à Sixto etiam quarto vnicè diligebatur. Quarè, ob egregias eius animi dotes, Pontificium munus ei delatum, traditur. Ipsius autem Pōtificatus initium suorum Genuensium bellis, & dissensionibus, plenum fuit. Neq; apud suos ciues tantum valuit: vt pacatos eos reddere potuerit. Ab omnibus

Regum,

Regum, Principum, ciuitatum legatis, & oratoribus, qui vndiq; conuolabant ad ipsum, studiosè petebat, ut pacem domi, forisq; colerēt: arma deponerent. Veruntamen intereà ortum est intestinum dissidium inter Vrsinos & Columnenses, ciues Romæ primores: quo omnia in vrbe fuerunt diu perturbata. Qua ex re magnum animi dolorem Pontifex cōcœpit. Officio nihilominus suo functus est Innocentius: & minis ac armis discordias tollere est sedulò adnisus. Animo suo statuerat, plura ad Rempublicam Christianam, Ecclesiarumq; vtilitatem, beneficus Pontifex conferre. Verùm ob corporis ægritudines, cū quibus sæpius conflictabatur, & temporis breuitatem, id assequi non valuit. Munera Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Populo dedit. Leupoldum Austriæ Ducem iamdudum mortuum, ob crebra ipsius miracula,
406 sanctorum confessorum lineæ adiunxit. † Vt expeditionem turcicam pararet: conuentum oratorum, Regum, Principum, & ciuitatum, anno Christi 1490. Romæ, hac vna in re accuratissimus, habuit. Amplissimas indulgentias, quò eleemosinas indè perceptas in memoratam turcicam expeditionem cōuerteret, emisit. Animum dein appulit ad subditorum commoda tuenda: ad Ecclesiæ dignitatem amplificandam, & rebelliones penitus abolendas. Vir iste fuit Iustitiæ cultor, pacis amator, &
exuberātis

exuberantis annonæ prudentiſsimus auctor. Magnoperè eſt gauiſus, quando eruditos, & probos viros ad honores promouit. Fuit erga pauperes miſericors: ſolamen afflictorum, & ſolatium: hoſpitator miſerorum: Dei ac ſanctorũ eius piiſsimus cultor. Aegritudines corporis patientiſsiſsimè tulit. Adueniente poſtremo mortis tẽpore, ſecurus planè de immortali gloria, cœleſtem vitam petiit: anno nimirũ ſummi eius paſtoralis officii octauo, die 26. ſalutis verò Mundi 1492.

Si optimi atq; ſanctiſsimi huius Innocentii pietatem, ſtudium, & demerendi voluntatẽ erga Anglos, Germanos, Gallos, & Polonos, de Archetypo Regiſtrorum ipſius Romano quis huc tranſcribere vellet, quinimò etiam erga Dacos, mediante perſona Ioannis eorum Regis, vtiq; tempus eum prius deficeret, quàm benefactis ſummi, eximiiq; viri principis, finem imponeret.

Alexander ſextus, Iulius ſecundus Leo x. Clemens ſeptimus PPPP. MMMM.
Cap. CLXXXXII.

HVc vſq; veteres Germani ſcriptores, qui prius hiſtorias temporũ ſcribere non deſierunt, Maximorum Pontificum geſta tradiderunt. Cæterùm ſi vel in hunc quoq; diem de Põtificibus illi Romanis texuiſſent hiſtoriam:

vtiq;

vtiq; haud secus, quàm têporum calamitates, quàmq; hominum super terram flagitia tulerunt, scripturi fuissent. Porrò Alexandri sexti, qui Innocentio successit, animi præstantia (illū tamen, aut quemquàm alium, in malo minimè gentium tueor) & magnitudo, cùm propter eius consanguineū, Cæsarem Valentinum, tùm ob Caroli octaui Gallorū Regis à Deo ad expiāda, credo, hominum scælera) in Italiam missi aduentum fermè periissent: nisi Deus omnipotens illius gesta ad Ecclesiæ vsum in melius non multo post reformasset.


Iulio 2. viro Principi fortissimò, iusto, atq; eximio, arma, vel inuito, aduersus Ecclesiæ rebelles, & bonorum eius inuasores, sumēdá plané fuerunt. Bononiam etenim, quæ ciuilibus dissidijs, stupris, rapinis, & perpetuis homicidijs exposita, cruore tota madebat, è Tyrannorum faucibus eripuit. Rauennam, Fauentiā, & aliàs plures in Romandiola Munitiones, Ciuitates, Agros, & oppida, è manibus Venetorū, qui illa super occuparant, magna armorum vi, animiq; tolerantia, laudatissimus Pontifex, pro Ecclesia Dei, extorsit: Mutinam, & Regium, vrbes Romanæ Ecclesiæ sua virtute recuperauit: multaq; alia ecclesiasticæ ditioni firmissimè adiecit.

Leo decimus successit: cui multus labor, multa colluctatio, cum apostata Islebiensi hæretico, homine superbissimo, arrogātissimoq; iugiter

iugiter fuit. Ideoq; illũ Ecclesiæ Christi hostẽ, & sacrarum legũ, ac canonũ publicũ incendiariũ, Pōtifex graui anathemate percussit. Munificentissimus fuit Leo nimis, splẽdidus etiã atq; liberalis erga viros doctos: bonasq; artes studiosè fouit: patrimoniũ diui Petri nō distraxit.

Clementi septimo successori aduersa fuerẽ tempora, & populi peccata. Quibus planè obrutus, ab Hispanis & Germanis in vincula propemodũ coniectus, industriã, & animi magnitudinẽ, vix aliquãdo ostẽtare valuit. Hac vna in re veruntamen vnicè laudandus, quòd bonũ, pro accepto malo, inuicta animi generositate, retribuit: & Ecclesiæ sibi in fidem ac tutelã cõcreditas opes non diuulsit. Sequuti sunt hos ad hæc vsq; tẽpora & annũ Domini 1570. alii deinceps in sede Petri Pōtifices cordatissimi: quorũ gesta, vitam, pietatẽ, studiũ, prudẽtiã, & sanctitatem, valeas cũ antiquorũ Pontificũ institutis ex æquo cōparare. Sed iam illos nominatim referre, nostrum non est. De his itaq; hactenus:

Ad laudem Sãctiss. Trinitatis. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotẽs, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriã, & honorẽ, & virtutẽ: quia tu creasti oĩa, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.



✠ FINIS. ✠